



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Gvilielmi Becani E Societate Iesv Idyllia Et Elegiae

Becanus, Gulielmus

Antverpiae, 1655


urn:nbn:de:hbz:466:1-12773



1. Panegyricus de Institutione Collegij
Germanici et Ungarici. pag. 1.
2. De Revolutione di Napoli ac...
dal Signor Alessandro Giraffi. pag. 68.
3. Guilielmi Beani à Societate IESV
Idyllia et Elegia. — " — " — " — " 172
4. Christophori Ranzouij, Epistola ad
Georgium Calixtum. — " — " — " — " 234
5. Henrici Valesij Oratio in Obitum
Jacobi Sirmondi. — " — " — " — " 273
6. Leonis Allatij Melissolyra de laudibz
Dionysij Petauij — " — " — " — " 289

X. VII. 19.

Ph. 5811.




3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
1000

Legato Reini Principis Ferdinandi
Epi Paderb. et Monaster.
Anno 1653.

GVILIELMI
BECANI
E SOCIETATE IESV
IDYLLIA
ET
ELEGIAE.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. LV.



SERENISSIMÆ
 CHRISTINÆ,
 SVECORVM,
 GOTHORVM,
 VVANDALORVM
 REGINÆ
 FELICITATEM
 GVILIELMVS BECANVS
 SOCIETATIS IESV.



Ἰζημαι ᾧ τίνι θνατῶν κεχα-
 ρισμῶς ἔνθω
 Σω' μοίσαις χαλεπαί γ' ὅδοι
 τελέθουσιν αἰοιδᾶν

Μουσάων, ἀπάνθυθε Διὸς μέγα
 βουλευόντος.

Sic olim Bucolicorum princeps *Idyl. xvi.*
 Theocritus. Sed fuerint ad Hie- *Hieron,*
 ronem *sen Cha-*
rites.

* 2

ronem Regem difficiles Musis
viæ, Tibi, Regina, gratus aduenit,
quem illæ comitantur. Ipsa Tu
eas colis, & quæ infra Te regna
esse duxisti, studia complecte-
ris. Sic olim inclytissimi Re-
gum bonas artes coluerunt;
quasi tum solio digni, si scientiâ
eminerent. Aiebat Alexander,
utar- illâ se malle, quàm potentiâ præ-
is in cellere: vtra Tibi potior, minùs
vitâ. dubium. Augendæ potentiæ ille
immortuus: Tu, quam nacta
eras, dimisisti. Aliena ille in-
uasit: Tu ne tua quidem reti-
nuisti, regnandi fatura, cùm
adhuc scientiis inhies. Ipso in re-
gno studuisti non tam regere
multa, quàm scire; tota in lit-
teris,

teris , cùm dignissima litteris ¹⁷⁵
gereres. Præter linguas, quibus
omnem ferè Europam alloque-
ris, cuius adyta disciplinæ Tibi
non perspecta ? quis inter Græ-
cos Latinósve bonus Auctor
non lectus ? tantum otij curæ,
quibus alter par non esset, Tibi
reliquerunt. Cùm omnia age-
res, quasi vacua studiis Te da-
bas . Ita Numini gubernare
mundum non labor, sed boni-
tas est : ita sempiternæ menti
summa felicitas sua scientia, vi-
uere intelligere est. Mutasti vi-
tæ statum, non vitam. Quæ
fortunæ erant, deseruisti : quæ
tua, seruas. Eruditos, vt prius,
in pretio habes, & eruditorum

* 3

sobolem

301
sobilem libros. Quos alij Prin-
cipes ostentationis, Tu erudi-
tionis gratiâ collegisti. Non
alius thesaurus Tibi carior. Poë-
tas in primis æstimas, qui sicut
Tu maiestatem comitate, ita
sapientiam venustate condiunt.
Aridam incultamque doctri-
nam vel sæculi vitio quidam
ament, vel suo; Tibi, veterum
exemplo, ea placet, quæ non
minùs elegantis floreat, quàm
rerum notitiâ fulciatur. Auo
tuo maior es. Vti moribus, ita
eruditionis genio perfecti ex-
emplum temporis repræsentas.
Quid, quòd cum animi tui do-
tibus poësis congruit? Diuina
est. Inde olim oracula non nisi
carmine

carmine prolata. Inde ingeniosi homines ipsis cælorum orbibus concentum tribuere, quasi cantu & carmine teneri cælitum sit. Quid, quòd optima vitæ præcepta carminibus ferè in-texta sint? Te certè quantum à vitiis natura disiunxit, tantum cum virtutibus illa studiorum ratio sociauit. Cum scientiâ vitam æquas, doctior dubium, an melior. Voluptates, & luxum, honesti pestem, odisti. Quasi non nisi mente constes, adeò corpori parum vacas. Cetera, quibus sexus tuus ducitur, tantum abest vt æstimes, vt ne noris quidem. Sed mihi nomen tuum non celebrare,

★ 4 verum

verùm vsurpare , si finis , mens
est , illoque libellum meum Le-
ctori commendare. Non sper-
net hunc , vt illud videatur æsti-
mare . Placebunt quæ Tu be-
nignè aspexeris. Ab oculis tuis
lucem accipient, quæ de se neg-
lectum & tenebras mererentur.
Quod elegantia deest , tutela
supplebit.



ELE.

177
ELEGIA
DE REGNO
A SERENISSIMA
CHRISTINA
SVECORVM
REGINA
DEPOSITO,
EIVSQVE IN PACEM
STVDIO.



*VI modo Christinam nec regia sce-
ptrā tenentem,
Nec dantem populis pristina iura
vides,*

*Falleris ex illo motam si culmine censes,
Quo nuper terris suspicienda fuit.
Altius euexit sese, dum summa reliquit.
Auxit, quo visa est se spoliare, decus.*

* 5

Nancisci

*Nancisci regnum, minus est quàm ponere. Sortis
Nancisci, magna ponere mentis opus.
Et genus, & faciunt, ut nanciscare, parentes ;
Omnis, si ponas, laus tribuenda tibi.
Carolus Austriades posuit. tam grande, nouúmque
Exemplum terris Belgica nostra dedit.
Post victos reges, post mundi extrema subacta,
Hac illi de se palma relata fuit.
Herois Christina premit vestigia tanti,
Nec curat tritâ regibus ire viâ.
Cúmque nihil Carolo maius, quâ possit haberi
Maximus, hac illi proxima parte fuit.
Ille satur rerum poterat laudúmque videri ;
Implerat famâ solis utramque domum:
Flore vicens aui, dum mentes acrius vrit
Gloria, se regnis exuit illa suis.
Carolus extremos successibus auctus ad annos
Vlteriùs vix quò progredetur, erat :
In medio cursu rerum ac splendore suarum
Destitit illa viam, quam dabat aura, sequi.
Sceptra gerant alij fame adiumenta paranda,
Splendorémque sui nominis inde petant :*

In decus ipsa suum sibi sufficit: ipsa theatrum,
Materies laudam est ipsa futura sibi.
Spernit, emi pretio quouis benè quæ putet alter:
Regna nihil dignum, quo teneatur, habent.
Nec tamen exempta est magnorū ex ordine regum
Nec petit hos inter non sibi iure locum.
Regia res virtus. regnat qui præditus illâ est,
Plûsque aliquid, possint quàm dare sceptrâ, tenet.
Regia res animus rerum contemptor, humiūque
Exosus, liber, sufficiensq; sibi.
Esse putes regem, cuius plebs audiat omnis
Iussa, cupidinibus seruiat ipse suis?
Quem frangat luxus, dolor obruat, asperet ira,
Ambitio dominum non sinat esse sui?
Esse putes regem, fortunæ qualibet aurâ
Qui ventis acta more feratur aquæ?
In solio curas humiles qui verset, & uno,
Quàm populus, studeat celsior esse loco?
Rex ille est, quem sceptrâ super iuuat atque coronas
Altius humanis exseruisse caput.
Casibus, & sorti quidquam debere recusat,
Nec tum, cùm deerunt cunèta, futurus inops.
Subdere

Subdere se vitis nescit, collumque pudendo,
Instar habet lethi, supposuisse iugo.
Hoc sibi dimissa regnum Christina coronam
Vindicat: hoc nullo depositura die est.
Parcite prima manu mundi qui sceptrum tenetis,
Hac nulli vestrum cedere parte cupit.
Quin gradus est illi, quod vobis culmen honoris:
Sub pedibus, quo vos suspicit orbis, habet,
Vos ostro fulgere iuuet, solioque sedere,
Et populum vestros ante videre pedes:
Vos iuuet imperium terram proferre marique:
Vestra triumphatus sub iuga mundus eat:
Cetera dimisit; sibi se Christina reliquit.
Hoc satis: hoc uno maxima regna tenet.
Vesper ut à vobis leges expectet, & Ortus:
Latius illa domi, quo dominetur, habet.
Pro quo certatis, pro quo conuellitis orbem,
Diraque suscipitis bella, dat illa sibi.
Pectus inexpletum vobis: nil deficit illi.
Mens bona sunt omnes, quas sibi poscit, opes.
Addere vos partis; amat illa relinquere partem:
Mutua vos rapitis: deserit illa sua.

Tum

Tum quoque, supremas rerum cùm flexit habenas,
 Quasq; datis leges gentibus, illa dedit,
 Cùm tenuit terras, Pontus quas frigidus ambit,
 Suppositasque sibi Menalis urfa videt,
 Florentis regni, fortunatique per illam,
 Quid, præter curam, credidit esse suum?
 Ut modò regnandi procùl est, procùl antè libido
 Abfuit: hoc alijs, non sibi gessit onus.
 Illius est, solis modò quòd non polleat armis,
 Sitq; fero tantùm Suecia Marte potens;
 Quòd cultum & mores miretur, opesq; suorum,
 Atque artes, regio queis viget ulla, colat.
 Illius est, primis quod cum regionibus Arctos
 Certet, ab ingenio dissideatq; suo;
 Facta quod Europæ sit pars illustris, amicam
 Quam regum quiuis optet habere sibi.
 Nec populo contenta suo fecisse benignè,
 Complexa est curis extera regna suis.
 Cùm foret assuetus palmis exercitus illi,
 Sponderent belli non nisi fausta Duces,
 Militibus campos completeret, classibus aquor,
 Pax placuit, pacem Rhenus & Albis habent.

Fulmen

*Fulmen erat belli genitor ; cūm posset eādem ,
Querere diuersā maluit arte decus.
Atque utinam quā nunc Germania gaudet , eādem
Numina permittant nos quoque sorte frui !
Nulla salus bello , redeat pax optima rerum.
Splendidior nullus pace triumphus erit.*



F A C U L T A S

R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS
SOCIETATIS IESV.

FGO Thomas Dekens Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouinciâ Flandro-Belgicâ, potestate ad id mihi factâ ab admodum R. P. N. Præposito Generali Goswino Nickel, facultatem concedo, vt P. Guilielmi Becani Societatis nostræ Sacerdotis Idyllia & Elegiæ, eruditorum ex eâdem Societate nostrâ virorum iudicio probata typis excudantur. In cuius rei fidem literas manu meâ subscriptas, & sigillo officij mei munitas dedi Mechliniæ xxv. Augusti, anno M. DC. LV.

Thomas Dekens.

APPROBATIO CENSORIS.



QUOD aiunt quidam & na-
scendo poëtas fieri, & amando,
utrique ingenium & elegan-
tiam poëseos sua debet P. Gui-
lielmus Becanus Societatis IESV Theologus.
Siue eius Idyllia, siue Christi infantiam, siue
debitam Augustissimæ domui Austriacæ ve-
nerationem spectes, ubique poëta est, ubique
ingeniosus, cultus, pius. Quare meritò lucem
videbit hic libellus, ut ex eo lector & ele-
gantiam & pietatem hauriat. Antuerpiæ
XXVI. Augusti, anno M. DC. LV.

T. Voochts, S. Th. L. Ca-
nonicus & Archipresbyter,
lib. Cens. Ant.

GVILIELMI
B E C A N I
E SOCIETATE IESV
I D Y L L I A
S A C R A.

15
GUILIELMI

B. F. C. A. N. I.

E. SOCIETATIS I. E. S. V.

I. D. Y. L. L. I. A.

S. A. C. R. A.

VIRGINI
MARIÆ,
DEI MATRI,
POETARVM PRINCIPI.

DATERE, Magna Mater,
huius adscriptione titu-
li non tibi, sed iis,
quorum te principem
voco, commendationem acce-
dere. Carminis studium inter
maiorum suorum decora Sira-
cides ponit. Ab illo summis he-
roibus, sicut ab imperio bene
gesto, laudem accersit. *Laudemus, Cap. 44.*
inquit, *viros gloriosos, & parentes*
A 2 *nostros,*

nostros, &c. imperantes in presenti
 populo, &c. in peritiâ suâ requiren-
 tes modos musicos, & narrantes
 carmina scripturarum. Benè ha-
 bet. Consultum est poësius existi-
 mationi à tantis cultoribus; sed in-
 de honoratior, quòd inter illos tu
 censeris. Quis se dignam non pu-
 tet, quæ te decuit? quis inutilem
 censeat, quam tu ad vsus maxi-
 mos, hoc est, ad diuinos in te fa-
 uores celebrandos adhibuisti? Ali-
 bi verborum parca, vno in car-
 mine facunda es. Alibi *sicut vitta*
coccinea labia tua, quia verecundo
 silentio colligata; hîc *fauus distil-*
lans sunt. Cedit poësi tuæ quid-
 quid alij panxerunt. Vsque adeò
 nihil in te mediocre. Supra om-
 nes

Cant. 4.

DEDICATIO.

nes à Deo euecta, sublimissimè illum effers, quàm, dum loqueris, modesta, tam, dum canis, grandiloqua. At profanatur à multis ars, quæ religioni tuæ deseruiit. Sic est. Qui diuinos se vates, Deoque plenos dicunt, nihil minus, quàm sunt. Plures periculosè blandi, animos dum mulcent, inficiunt; nusquam magis culti, quàm vbi noxij. Quàm vellem istis nequitiaæ suæ poëtis gratiâ & venustate non cederent ij, quibus tu, quibus filius tuus materies estis. Sed iuuat vel argumento vincere. Non quo paratu celeberrimi, sed quo animo, spectatis. Non augustis tantùm templis, sed exiguis etiam sacellis coli gaudetis.

A 3

Studium

Studium vobis pro ornatu est, pietas pro elegantia. Elegantiam, quibus est datum, carminibus suis adhibeant; ego in meis pietatem spectavi, de lectoris iudicio securus, si vobis non displicuero.



7
 IDYLLIVM I.
 IOSEPHVS.

Argumentum.

*Iosephus puerum IESVM Herodis furori
 subtrahit, & in Egyptum fugit, Patriar-
 cha olim Iosephi sedem.*

A D
 LVDOVICVM DE ROMER,

Cum ei ædem in valle B, MARIÆ Fa-
 continâ dicaret, consecraretque.



V, dum votiuis adoles altaria flam-
 mis,
 Inque nouas sedes, & fulgens mar-
 more templum
 Iosephum inuitas, Ludoice, tibi que
 fauere

Cogis, & acceptis maiora rependere donis;
 Diuersum in terras alio sub sole calentes
 Me meus ardor agit. Iuuat ire, habitataq; quondam
 Sancto regna seni, & magnis loca conscia curis
 Visere, diuinum quibus olim fouit alumnum,
 Depositaque ingens terris seruaui & astris.
 Non tamen vt Iudæ domus, & magalia Bethles
 Me teneant; quamuis hæc illi patria, quamuis
 Se Deus his primùm nostros circumdatus artus

A 4

Ostendit

8 GUILIELMI BECANI

Ostendit terris, & paruo vagiit antro.
 Pastores primi fano videre iacentem.
 O fortunati, quos ipse ad limina custos
 Induxit senior, iamque vbera cara petentem
 Ostendit puerum, & stantem ad præsepia matrem!
 Ille latus paleis & fano fultus agresti
 Accepit lætus venientes, donaque turbæ
 Pauperis arridens, primosque admisit honores.
 Quis seruasse gregem, quis noctem montibus illis
 Non cupiat vigilasse? procùl nunc illa voluptas:
 Nunc dulcis pueri petitur caput. Hei mihi, quantus
 Astra ferit clamor! fatalia linqute tecta,
 Dum licet, inque sinus abscondite pignora matres
 Bethlemia: tuque ante alias fuge regia Virgo,
 Quò Numen, sponsusque vocat. sed & ó! mihi
 longè
 Iesseæ valles, nec iam iucunda valetè
 Antra. Quis infandam eadem, laniataque membra
 Infantùm, matrumque hærentia funera collo
 Spectet, & vndantes infonti sanguine cunas?
 Ibo, & Iosephi profugi comes, exulis exul,
 Per, qui se obiicient, casus, eiusque, meosque
 (Quo se cumque ferent) sequar indefessus amores.
 Atque vtinam, sacra fuerit seu parua supellex
 Transportanda domus, via seu tentanda, laboris
 Me vocet in partem! sed in illo cardine rerum
 Cui fidat? viden' vt tritâ regione viarum
 Abscedat? coniux oculos demissa modestos
 It comes. Insequitur cælo plaudentibus alis
 Aligerùm formosa cohors, circumque, supraque
 Ambit ouans puerum, siue inter brachia matris
 Gestandus, collo seu pendeat ille paterno.

Fortunate

Fortunate senex, toties modò cuius in vlnas
Matris ab vberibus tam dulcis sarcina transit,
Brachia cui nectit ridens, pretiumque ferendi
Oscula diuinis infigit dulcia labris!
Fortunate senex, cui blâsas reddere voces
Incipit, atque illud paullatim dicere nomen,
Quo vocat æternum nihilo minor ipse parentem!
Ipsæ te vallesque cauæ, collesque supini,
Quà transis, ipsæ te rupes, ipsa beatum
Saxa vocant; pondusque tuum comitemque fatentur
Nosse feræ, & prono venerantur vertice siluæ.
Quò properas? patulis hîc ficus temperat æstum
Fronibus, hîc flores, immixtaque floribus herba,
Hîc torus: hîc molli puerum depone sub ymbra.
Ipse Parætonias præcurram lætus ad oras
Nuntius. Excibo ciues, Memphimque subire
Delicias terrarum & cæli gaudia dicam.
O felix, nimium felix, tua si bona nosti,
O dilecta Deo regio! redit ille tuorum
Seruator populorum, his nomen amabile terris
Iosephus: nec tam attonito nocturna tyranno
Visa aperit, nec septenos collecta per annos
Partitur frumenta, famis solatia diræ.
Ipsum adeò auctorem frugum, qui gramina campis,
Qui segetes aruis, qui Nilo sufficit vndam,
Adducit. Deus, ecce Deus! quem sæcla Canopo
Pristina terribilem, perdentemque omnia latè,
Fulmina vibrantem, & tonitru videre cientem;
Nunc trepidus fugit, & teneris vagitibus auras
Impellit lacrymans, latebrasque & tecta requirit.
Spargite flore viam, manibus date lilia plenis,
Et triuis festas intexite, quà venit, umbras.

A 5

Me

IO GVILIELMI BECANI

Me miserum ! quanto tellus incenditur æstu !
Vt rabidi soles ! vt nulli hoc aëre venti !
Ah ! tibi ne noceant insueti, Virgo, calores !
Ne puero teneros vrat sol feruidus artus !
Sancte senex, tuus iste labor: tibi creditus infans,
Infantisque parens: generis tu gaudia nostri,
Tu preium mundi, & cælestia pignora serua.
Nos tibi, nos illo pro munere carmina grati
Soluemus, nomenque tuum tollemus ad astra.
Carmina nos; alij folido de marmore templa
Constituent, & dona tholis ingentia figent.

IDYLLIVM II.
THESTYLIS.

Argumentum.

Puella rustica post Dei Matrem deserto in sacello religiosè cultam ibidem expirat, & celo transcribitur.

A D

FRANCISCVM MONTMORENCIVM
E SOCIETATE IESV.

Cùm ab eo lyricam Psalmorum Daudicorum Paraphrasin accepisset.

R Eddite Blandinio calamos in monte relictos
Pierides : iterùm siluas & rura canemus.
Adsis, & tenui aspira, Francisce, labori.
Bucolici princeps tu carminis: altera quamuis
Depositis

IDYLLIA SACRA. I I

Depositis modò plectra iuuet tentare cicutis.
 I felix, quò te rapit entheus ardor, & vltra,
 Quàm Venusinus olor, quàm cursum Pindarus egit,
 Cælo iter affecta. Dudum tibi Tybris, Apesque
 Terrarum dominæ blando plausere susurro.
 Nostra humiles supra non surgit musa myricas.
 Nec tamen hæc spernit Grudius celeberrima siluis
 Virgo, cui primas agresti carmine laudes
 Dixit Bethlemio Pastorum turba sub antro.
 Inde illi pecudes curæ, pecudumque magistri.
 Thestylis exemplo est, cuius malè cultus agellus,
 Et grex paruus opes olim; nunc addita cælo
 Vota audit, faustum agricolis & amabile nomen.
 Viderat hæc collapsum inter dumera sacellum,
 Regina Superûm pietas quod prisca dicarat.
 Virginis effigies fractâ squalebat in arâ,
 Imbribus, indignum, rapidoque obnoxia soli.
 Huc animi mœrens, miseransque in imagine Diuam
 Assiduè veniebat, & aræ affusa, videntque
 Semirutam, & cultus iam nil nisi signa prioris,
 Flebat, & innocuis immiscens vota querelis,
 Hei mihi! dicebat, quòd non me diuite nasci
 Patre Deus voluit, quòd non mihi iugera culti
 Multa soli, multi que græges in montibus errent.
 Tum tibi fulgenti, Regina, è marmore templum
 Exstruerem: medio tu stares aurea templo;
 Aureus ille tuis infans hæreret in vlnis.
 Dixerat; extergensque madentia lumina, siluam
 Cantu implet, nomenque Mariæ tollit ad astra.
 Iusserat hoc teneris incitum crescere fagis,
 Hoc Zephyros, aurasque, cauas hoc discere rupes,
 Hoc matutinas secum celebrare volucres.

Quia

12 G V I L I E L M I B E C A N I

Quin & auis fieri simplex, & sumere pennas
 Optat, & hoc omnes cantando ferre per oras.
 Vana voues. Potiùs decorandi cura sacelli,
 Thestyli, te teneat. Quid tum si vile, Dei que
 Indignum genitrice? casam non spreuit, & illum
 In stabulo genuit, quem gestat ad vbera, natum.
 Quid faciat? modò poma suis hærentia ramis
 Fert, figitque tholo: modò de radice reuulsa
 Intexit virgulta, & opacat frondibus aram.
 Adiicit & geminas vario de flore corollas;
 Vna tegit puerum, pueri tegit altera matrem.
 Et, quia, quod donem maius, fortuna negauit,
 Accipite hæc, inquit, manuum monumenta mearum
 Tuque, puerque tuus, Virgo: nam te quoque dicunt
 Exegisse humilem nato cum paupere vitam.
 Fallor? an ille mihi diuinis risit ocellis?
 Et magis atque magis blandos in imagine vultus
 Aspicio? ô vtinam scirem quo munere possit
 Officioque capi! non quidquid protulit æstas
 Formosum in siluis; non vestem, quam mihi Phyllis
 Cùm daret, urbanis potes hac certare puellis,
 Thestyli, ait; non ipsam animam donare recusem.
 Ardoris nunc iste mei sit cereus index.
 Ignea vis ceram tenues dissoluet in auras;
 Me consumat amor. Dulce est in amore perire.
 Thura etiam, & , templis qui succenduntur, odores
 Vellem ager hic ferret; totas altaria lucas
 Fumarent: sed enim dabit hæc opulentior Ægle.
 Ipsa feram geminos etiamnum implumibus alis
 Turturis inuentos celsâ super arbore pullos.
 Hos meus vt frater nido detraxit Iolas,
 Accepi, & dixi, Pueri portabimus illos.

Accipe,

Accipe, care puer, placido mea munera vultu.
 Munera parua quidem pro tempore; sed malè nobis
 Autumnus feras si non affecerit, agnum
 Velleris intacti, sic spondet mater, habebis.
 Agnum Zacharides solitus tibi ducere, quando
 Dulcibus è latebris paruus tua tecta petebat,
 Et tua desertis veniebat ad oscula siluis.
 O nimum felix, cælestia stringere colla
 Qui potuit, pueroque puer colludere! felix
 Quem toties tecum amplexa est, gremioque rece-
 prum

Conscia vestrorum fouit tua mater amorum!
 En erit has etiam puer vt dulcissime nobis
 Delicias facias, nec iam simulacra, sed ipsum
 Te spectem, qualis Superis quantusque videris?
 Interea sim cura, precor, tibi mutua, quamuis
 Tu Deus, agricolæ quamuis ego filia Mopsi.
 Sic nutrit flammæ, teneroque liquescit amore,
 Immemor absentisque domus, pecorisque, suique.
 Sæpè greges illi per opacæ deuia siluæ
 Errarent, si non absentis Diua puellæ
 Suppleret curam, custodiretque vagantes.
 Sæpè parens natam serâ sub nocte reuersam
 Increpuit; sed non ea me, quam rere, morata est
 Causa, inquit: lusere aliæ, ludantque puellæ:
 Vota Dei Matri pro te tua filia fecit.
 Illa quidem (gemitumque imo de pectore ducens
 Soluitur in lacrymas) hîc iam despecta, situque
 Fœda iacet, sed non ego criminis arguar huius.
 Quin potius stratam me mors illius ad aram
 Occupet, eque suo defunctam luce facello
 Thestylin ad sedes deducat Diua beatas.

Sic

14 GUILIELMI BECANI

Sic vouet. Audiuit virgo: taciteque, quod optas,
Fiet, ait. Suprema tibi cum venerit hora,
Me coram aspicias, interque precantia verba
Deficientem animam excipiam, caeloque locabo.

Præsidium quis tale mihi, dum fata vocabunt,
Spondeat! ô ego tum quam molli sine quiescam,
Te saltem si, sancta Parens, in imagine spectem,
Et fractos oculos in te, mea vita, tuumque
In puerum attollens, nil iam mortale videre
Exoptem, sed caelo inhians de corpore soluar.

IDYLLIVM III.
ISIDORVS.

Argumentum.

*Inter Dei laudes ad caelum aspirat.*AD IOANNEM SCHEGA
E SOCIETATE IESV,

ARCHIDVCI LEOPOLDO A CONFSSIONIBVS.

TItyre, coge pecus: venit Hesperus. Hic ego noto
Succedam nemori, laudesque, assuetaque; solvam
Vota Deo. Par est votis præuerrere noctem.
Ibo, & Dauidico quæ sunt mihi condita versu,
Ad responsutas meditabor carmina siluas.

Intonsi montes, altaque in montibus umbrae,
Umbrosi nemorum saltus, & pascua, & amnes,
Et pluuia, & rores, matutinaque pruina,
Ventorumque leues animæ, nimbi que sonantes,
Cuncta Deum laudate: Dei sunt omnia munus.
Rebus ab hoc vigor, atque omnis primordia vitæ.
Messibus

Messibus hinc ager est, hinc pomis utilis arbor.
Hinc oleum, & tristes animo pellentia curas
Vina fluunt, læto florescit germine terra.
Terra parens frugum; sed quanto pulchrior illa est
Cælicolûm regio, quam formosissimus ambit
Sol, & inextinctis illustrant sidera flammis.
O Diuûm domus alta, ingentisque aurea cæli
Templa, Dei sedes! O sol, ô candida luna,
Et toties oculis mihi visa madentibus astra,
Aspectu vt rapitur vestro, vt se iungere vobis
Mens ardet! iam nec fontes, nec flumina nobis
Ipsa placent: sordent vestiti gramine campi.
Iam siluæ, præter latebras plorantibus aptas,
Nil, quod amentur, habent. Hîc flendo condere
soles,

Et totas iquat in questus absumere noctes:
Hîc damnare moras, & euntia tempora tardè,
Et nimitum longos, cælo quibus absumus, annos.
Sic olim Isacidæ dominæ Babylonis ad amnem
Sederunt Solymæ memores, longumque gementes
Exilium ignotas turbarunt fletibus vndas.
E salicum ramis pendebant barbata, venti
Impulsu interdum gemitus imitata suorum.
Chaldæi venire, fero gens barbara cultu,
Quique Tigrim, qui que Euphratem tenet accola,
venit,

Venere Assyrij, Medi venire coloni:
Omnes insultant captis, quaque antè iubebant
Vincula ferre manu, nunc pleetra resumere mādant.
Eia agite, & quæ olim, dum starent alta Sionis
Templa, canebatis, depromite carmina nobis.
Hebræis Babylon modulis sonet: en silet omnis
Ripa, silet nullis percussa fragoribus vnda.

Quis

16 G V I L I E L M I B E C A N I

Quis modus externis meditari patria terris
 Carmina? ut inuisi Babylon sibi Numinis hymnos
 Audiat? Hebræos ut rideat impia cantus?
 Hæc Deus, infensus quamuis nunc, hoc tamen,
 aiunt,

Non sinat Isacidis cultus Deus. Ite profani.
 Debentur Solymæ, Solymæ seruabimus istos,
 Quos petitis, cantus: gemitus hæc terra reposcit.
 O Solyma! ô arces! ô sancti culmina templi!
 Exilii que mei Babylon ô tristis imago!
 En erit illa dies vnquam, quæ me quoque reddat
 Dilectæ nimirum patriæ, regni que beatis?
 En erit, ut terris excedat liber, & artus
 Qui regit hos, puro se spiritus æthere condar,
 Calicolas vbi cernat, vbi cernatur ab illis?
 Ah quid non animo, quid non sum corpore passus
 Hac ego spe! quoties intactos, fonte reperto,
 Transiui sitiens latices, & languida traxi
 Membra fame! quoties Cereris pro munere, curæ,
 Et gemitus alimenta mihi, lacrymæ que fuerunt!
 Errantem mediis si sol exureret agris,
 Si ruerent densis hiberni nubibus imbres,
 Perfundar pluuiis, dicebam, solibus vrar:
 Tempus erit, cum cælestes inuectus in orbes,
 Altior & pluuiis, & solibus altior ibo.
 Si sine me in molli celebrarent gramine ludos
 Pastores, si me terricum tristemque vocarent:
 Parcite, dicebam, cælo sperabimus ista,
 O pueri: cælum nobis maiora reseruat.
 Quid, quod nescio quâ cum Phyllida Thyrsis amaret
 Infelix iuuenis, Corydon rideret Alexin,
 Non nisi diuinis mihi pectus amoribus arsit?

Num

Num minus idcirco turgent mihi lumina fletu ?
 Idcirco nostras non audit silua querelas ?
 Audiat vsque tamen: cælum modò lumina spectent,
 Vsque fluant lacrymis. Est quædam flere voluptas:
 Dulcis amarities lacrymarum, ipsæque querelæ,
 Ipsi delectant, qui sunt in amore, dolores.

IDYLLIVM IV.

DAVID.

Argumentum.

Leone & vrsò cæsis epinicium.

NASSON, NABOTH, CHELION.

AD FREDERICVM DE MARSELAER,

EQUITEM,

TOPARCHAM DE PARCK, &c.

NAS. **D**icite io Pæan, lætasque ad sidera voces.
 Mittite: victorè lauro redimite Dauidem

Pastores: meruit fieri sibi talia Dauid.

Dauid in aduersum generosior ipse leonem

Iuit, & ingenti distraxit hiantia nisu

Ora premens, lacerumque cruentâ extendit arenâ.

NAB. Dauidem agricolæ celebrate, & tollite cælo.

Dicite, crescentesque iubete ediscere lauros:

Regnat in vrbe Saul; rex nobis Dauid in agris.

Bellua sæua, ingens, Libani de montibus, vrsa

Intrulerat sese campis, stragemque ferebat:

Dauidis confecta manu est. Frustrâ ore cruento

B

Infremuit,

18 G V I L I E L M I B E C A N I

Infremuit, frustrâ rigidos surrexit in vngues.
Nec pugnaturus clypeum tulit ille vel hastam;
Tela fuere manus, inuicti tela lacerti,
Et virtus animi telo violentior omni.

CH. Carpite, securi modò carpite gramina tauri,
Nec vastatorem timeant armenta leonem,
Vt nuper. Iacet ecce leo, rex ille ferarum,
Siluarumque pavor: tabo per colla, per armos
Concreuere iubæ: lauit ater corpora sanguis.

NAS. Pergite oues campis procedere, pergite molles
Tondere in solis, puero duce, montibus herbas;
Cura nec ad caulas ferâ sit nocte reuerti.
Vrsus abest: vrsi proprio rubuere cruore
Infecti toties agnorum sanguine villi.

NAB. Ibimus, & læti exuias, monumenta timoris
Præteriti, pagos circum villasque feremus:
Excipient pompam, tauris ad aratra relictis,
Agricolæ, nec se poterunt explere tuendo,
Mirati rictus, & adhuc à morte timendum
Aspectum, & diris assuetos cædibus vngues.

Cernere erit turbas puerorum, ipsosque sequentes
Cum terrore canes: ibit latratus ad auras:
Omne resultabit strepitu nemus, omne sonabit:
Regnat in vrbe Saul; rex nobis Dauid in agris.

Tum, quæ vicinâ quercus stat maxima siluâ,
Tale sub affixis spoliis sibi carmen habebit:
Villoso caput hoc vrsi, cæsi que leonis
Hæc, ô Posteritas, paruus tibi tergora Dauid.

CH. Spargite humum foliis, foribus prætexite ramos,

Pompa venit: Dauid princeps & gloria pompæ:
Quid tum si tener est? si primo flore iuuentæ

In

In niueâ flauos crispat ceruice capillos?
 Quanto vrsus vitulo; quanto leo fortior agno,
 Dauidi tenero tantum leo cedit & vrsus.
 Non validus Sampson, non, primum quos tulit
 æuum,

Pastores, quamuis geniti de stirpe gigantum,
 Quamuis aërias æquarent corpore cedros,
 Certior infitmo pecori tutela fuere.

NAS. O inuidæ puer, tibi circumiectus Ephratæ
 Collis, & intonsus Carmelus, & arduus Hermon
 Dant plausum, pulsæ referunt ad sidera valles:
 Regnat in vrbe Saul; rex nobis Dauid in agris.

NAB. Arboribus vites decori sunt, collibus vna,
 Armento taurus, toruo sua cornua tauro:

Tu decus omne tuis. Te postquam cæde ferarum
 Perfusum, & geminum siluæ videre cadauer,
 Venit honor siluis, stetit omnis pulchrior arbor.

CH. Viribus his alias, age, nunc circumspecte pugnas.
 Nunc lituos audire iuuer: nunc fortia bella

Aggredere, atque ipsos in prælia posce gigantes.

NAS. Audeat arma manu quisquis te sumere contra,
 Næ de se coruis dabit ille voracibus escam.

Atque vtinam nobis tantum ex hoc suppetat æui,
 Tantum oris, quantum sat erit tua dicere facta!

Non tali Gedeon, non tali carmine dictus

Nunniades fuerit: vincet tua gloria præcos,

Vt corylos ilex, myrtos procera cupressus.

Iam nunc Allophyli, Madian, Arabesque, Syriæque

Responsis horrent Diuûm: tremit omnis Idume.

NAB. Intereâ textam de lauro sume coronam,

Et palmæ ramum pro tempore: quæque coloni

Parua ferunt læti, tu lætior accipe dona.

Ecce tibi calathis legerunt lilia plenis
 Marrès atque nurus: Tyrios potura colores
 Vellera Bethlemiæ certant tibi nere puellæ.
 Mittit mella Thabor: Libanus tibi spirat amomo:
 Ducit in Engaddi tibi montibus vva colorem.
 Sed neque de terrâ missum Galaditide munus
 Aspernare, pedum nodis atque ære decorum,
 Quod dedit Obededon, & cùm daret, Hoc manus,
 inquit,
 Ista gerat, quæ semesam extorquere leoni
 Non timuit prædam, faucesque inuasit hiantes;
 Digna manus scepro. Sed sint sua scepra Sauli,
 Et quâcumque volet regnet sublimis in vrbe:
 Regnat in vrbe Saul; rex nobis David in agris.

IDYLLIVM V.
 MOYSES EXPOSITVS.

Argumentum.

Infans à matre expositus Nilo committitur.

AD PETRVM VANDER BEKE,
 IN PROVINCIALI FLANDRIÆ SENATV REGI
 CATHOLICO A CONSILIIS.

Oppida sint aliis; campi mihi ruraque curæ.
 Flumina me teneant: tenuerunt hæc quoque
 Moyfen,
 Et vitam & nomen, fluitans in gurgite summo,
 Debuit his olim: fluitantem gurgite summo

Musa

Musa refer Moysen, primus qui pangere carmen
Instituit, tenuique gregem mulcere cicutâ.
Iam fetum Rachobeta suum sub luminis oras
Ediderat, iam mater erat, sed pœnitet esse:
Et mallet nullum, quàm, quem seruare tyranni
Iussa vetant, natum. Quantò formosior infans,
Tantò maiori premitur luctuque, metuque.
Ergò perire sinat, vitæque in limine primo,
Quem peperit, mitti patiatur piscibus escam?
Idcircone decem tulerit fastidia mensûm,
Et fuerit duro partus defuncta labore?
Nil Pharao iubeat crudelius. Ut graue tandem
Cesset opus laterum, cessent immitia lora,
Et scuricæ, & fustes; instat fors durior illis.
Ipse puer quouis magis exactore fatigat
Infaustam nimiùm matrem. Quodcumque moueri
Audit, qui sobolem rapiat, qui mittat in vndas,
Aduentare putat: nec quid fugiatque, petatve,
Nec quid agat, certum est. Virget rex, regius ades
Lictor obit: prodit sese vagitibus infans.
Sic, lupus interdum cum iam ferus ambit ouile,
Balatum ignari tollunt sub matribus agni.
Quid faciat? præter questus, solamen inane,
Nil habet in promptu: nec adhuc hos edere tutum.
Rêsne, rogat tacitè, nimij foret illa fauoris,
O Superi, si, qui seruiles crescat in vsus,
Sitque miser mecum, puerum seruare daretis?
O vbi, quem vates nunc expectare iubebant,
Ille sui vindex populi, qui compleat omnem
Prodigiis Memphim, qui terram ducat in illam
Assertos hinc Hebræos, vbi fata beatas
Promittunt sedes, & mella fluentia campis?

B ;

Illius

Illius aduentum, nisi spe nos ludat inani,
 Quàm fuit optandum non hoc præuerrere partu !
 Sic ait, & vano nequidquam fluctuat æstu,
 Atque animum nunc huc, nunc anxia diuidit illuc.
 Cùm tandem: Quod non aliunde, à fluctibus, inquit,
 Speremus; quemque infantis seruire tyrannus
 Exitio voluit, quaramus in amne salutem.
 Dixerat, & lento fiscellam è vimine textam
 Inducit cerâ, ac patientem reddit aquarum.
 Ter puerum immisura fuit: ter victa dolore
 Destitit: haud aliter tamulandum imponeret vrna.
 Postquam pauca dedit tamquam suprema iacenti
 Oscula, flens flentem Superis committit & vndis.
 Vade, ait, infelix (agilemque à litore corbem
 Impellit trepidante manu) fluuioque secundo
 Labere. Si pereas, non me spectante peribis;
 Si Superis curæ es, quam me tibi ferre negarunt,
 Nilus opem præstet, Nilum sensisse putares:
 Sic substernit aquas, sic summo leniter alueo
 Commissum sibi portat onus. Narat ille pericli,
 Nuper vt in cunis, securus. Fiscina quantum
 Parua vehit fati! qui sic narat, arbiter olim
 Vndarum legem ponet fluuiisque marique.
 Huius ad imperium decurret in æquora Nilus
 Decolor, & fluctus mirabitur ire cruentos.
 Huius ad imperium refugi maris vnda dehiscet,
 Et via diducto pandetur sicca profundo.
 Arduus hinc stabit gurges suspensus, & illinc:
 Securi pedites imis gradientur arenis.
 Tantùm aliquis, quo nunc agit in discrimine, præstet
 Sit misero, & forti tribuat superesse fut uræ.

192
23
IDYLLIA SACRA.

IDYLLIVM VI.

MYCON.

LYCIDAS, CHROMIS.

Argumentum.

*Amorem impurum, execrantur; caelestem
commendant.*

AD FERDINANDVM DEL PLANO,
SOCIETATIS IESV
RECTOREM GANDENSEM.

MY. **I**Bam, quâ Grudiis sinuosus Dilia campis
Labitur, & multo conuestit gramine ripas.

Errabant circùm pecudes, porrectaque late
Pascua mille boues tondebant, mille bidentes.

Dum tacitus Superos veneror, sicut meus est mos,
Ecce tibi subter salices Lycidasque, Chromisque,

Et cantare pares, & respondere parati.

Vt Lycidas contrâ me conspicit, Huc ades, inquit,
Care Mycon: non te Chromin audiuisse pigebit.

Accedo, & socius positus in gramine iungor.
Incipiunt illi meditados dicere versus.

Sic Chromis exorsus: Lycidas sic deinde secutus.

CH. Eheu, quàm pingui taurus macilentus in her-
bâ est!

Vbera quàm referunt Corydoni sicca iuuentæ!

Impius est Corydon, nec munera ferre sacellis,

Nec curat dare vota Deo: Deus illa rependit.

LY. Incolumes pascuntur oues, capræque Menalæ.

B 4

Lac

24 G V I L I E L M I B E C A N I

Lac sub solstitium, lac frigore suppetit illi.

Reginæ Superûm nullâ non luce Menalcas

Supplicat: hæc illi Superûm Regina rependit.

CH. Iactat Damœtas sibi quæ Galatea locura est,

Et Superûm ferri demens exoptat ad aures.

At me lasciua capiant quàm verba puellæ,

Experiar rabidi dentes, precor, antè molossi.

LY. Interit indigno Nisæ deceptus amore,

Dicit & in Diuos moriens verba aspera Damon.

At similis quàm me teneat vesania, fiam.

Obuius antè lupo desertis solus in agris.

CH. Accipiter nidis, stabulis lupo, improba vulpes

Cortibus infesta est; pueris amor atque puellis.

Ah sæue, ah fallax amor, ah mortalibus hostis,

Vt tua lethifero sunt illita tela veneno!

LY. Alitibus laquei, mendaces piscibus hami,

Retia cæca feris; homini metuenda voluptas.

Decipit, ac ritu prensatæ elabitur vmbra;

Contra tamen morfu vel sic ferit iccta tenaci.

CH. O quibus est primi, iuuenes, vigor integer æui,

Si studium vobis passim conquirere pulchras,

Vertite ad hanc curas, huic vos addicite seruos,

Quæ peperit Numen: quid enim formosius illâ?

LY. O quibus est florens ætas & forma, puellæ,

Mutua vos si cura tenet, studiumque procorum;

Sit, facite, ante omnes vobis in amoribus ille,

Quem peperit Virgo: quis enim tam dignus amari?

CH. Triste gregi scabies, demessis nimbus aristas,

Florenti ceraso nebula; iuuenilibus annis

Insanisse mihi. Testes sunt pascua & agri,

Quàm crebri ex imo gemius mihi pectore surgant.

LY. Dulce apibus flores, ver floribus, aura Fauoni

Purpureo

Purpureo veri; nullos experta furores

Ætas prima mihi. Nec agri, nec pascua norunt,
Quanta mihi manent ex illo gaudia fonte.

CH. Iam matura mihi vires firmauerat ætas,
Cùm nil iucundum, nisi quod me perderet, esset.
Quid volui demens? inter requiescere spinas,
Dulciaque ex ipsis extundere mella cicutis.

LY. Tertius à decimo nondum me ceperat annus,
Cùm desiderijs cœpi cœlestibus vri.

Tempore ab hoc sic ille meo sub pectore creuit
Ardor, vt æstiu maturâ luce calores.

Hei mihi, quàm breuis est quæ nobis ducitur ætas!

CH. Vt fugit, inque modum numquam reuocabilis
vndæ

Labitur! ah miseri! vix paucos fata dederunt,
Et tamen è paucis multos disperdimus annos.

LY. Hei mihi, quàm longa est ardenti cernere nomen
Vna dies! vt cor illi tabescit in horas!

Non ita purpurei, curuum quos læsit aratrum,
Deficiunt flores, tactæque vredine messes.

Finierant. Viti cygnos superasse Myconi,
Quasque nouum volucres audit ver. Tityrus, inquit,

Vsq; sibi placeat, seu fagi lentus in vimbâ
Formosam doceat resonare Amaryllida siluas,

Seu dicenda suo (sed quæ legat ipsa Lycoris)
Ad Siculos fontes meditetur carmina Gallo.

Dulciùs agrestes alter non inflat auenas,
Credo equidem: sed quæ cœlestes cantat amores,

Hæc sonet, hæc nostris celebretur fistula campis.

THYRSIS, DAPHNIS.

Argumentum.

*Arbus spectabilibus assurgunt ad Deum.*AD IOANNEM BAPT. VAN HOLLANT,
E SOCIETATE IESV.

Campus erat: fons in medio, quem plurima fagus
Ambit; ad hunc Thyrsis cum Daphnide fortè
sub æstum

Compulerant pecudes, ambo cantare periti,
Ambo diuinis accensi pectora flammis.

Dulcia, Thyrsis ait, ventorum hîc sibila, Daphni,

Dulcia de saxo labentis murmura lymphæ,

Dulcè strepunt volucres; sed vox tua dulcior illis.

Daphnis ad hæc: Quin tu frontem mihi baccare
cingis,

Quando ultra placitum laudas? præconia, Thyrsi,

Hæc tua sunt; te Pierides fecere poëtam:

Et tantum tibi nos, quantum vel oloribus anser,

Rauca vel argutis concedit rana cicadis.

Si tamen egeidâ iuuat hîc paullisper in vmbra

Mecum, vel calamis cantum, vel voce ciere,

Experiar quid possim. Age, carmina tu cane prima,

Carmina tu cane prima; tuus canet altera Daphnis.

TH. Ludere si calamis, si vocem soluere cantu

Est animus, sit prima Deus, sit & vltima nobis

Materies, bone Daphni. Regit Deus omnia, terras,

Et

Et mare, cumque suo magalia rustica cælo.

D. Principium rerum Deus est, & terminus idem,
Fatorum dominus, vitæ, quam ducimus, auctor.

Auctori vitæ sua laus, sua semper apud me
Carmina erunt: vos hæc memores ediscite fagi.

TH. Aspicias vt segetes agros, vt gramina campos
Lata tegant, lætæ tumeant in vitibus vuæ?

Omnia sunt illius opus: nisi fauerit ille,
Nec segetes veniant agris, nec gramina campis.

D. Aspicias vt torrens modò terris incubet æstas,
Aëris vt vitio pecudes moriantur & herbæ?

Omnia sunt illius opus: si respicit ille,
Descendent pluuiæ, superabunt flumina ripas.

TH. Ver pulchrû, cum se terris noua germina tollunt,
Cum redeunt flores: pomis autumnus & vuis.

Pulcher: at vt fuerit notus tibi conditor horum,
Nec vernum decus, autumnus nec munera laudes.

D. Pura nitet cæli facies, seu nocte fugatâ
Aurora in roseis effert se lutea bigis,

Aurea seu serus succendit sidera vesper;
Si ad dominum spectes, iam cælum & sidera sor-
dent.

TH. Omnia sol lustrat, quouis diffunditur aër:
At quò nec penetrat sol, nec diffunditur aër,
Præsens Numen adest. frustra fugit, & sua quisquã
Sperat in obscuris abscondere crimina siluis.

D. Omnia sunt certas sortita ab origine sedes.
Flumina amant pisces, montes animantia, cælo
Gens hominum nata est. frustra hîc sibi conserit
hortos,

Frustra aliquis multos vitæ sibi postulat annos.

TH. Terra vale: totus cæli succendor amore.

O quoties.

O quoties illuc, & quæ suspiria mitto!

Non ira lethali confixus arundine ceruus

Sepositi fontis gelidas aspirat ad vndas.

D. Tytire, balantes audin' in ouilibus agnos?

Absunt iam nimum matres. Absentibus agni

Matribus vt mœrent, vt matres Tityre, quærunt,

Sic absente Deo mœror consumit amantes.

TH. Solus amans nouit, quo claudat funere vitam.

Res amor est violenta; mori nos denique coget.

Atque vtinam cogat! crescet post fata, nec illum

Vincere mors poterit, quamuis mors omnia vincat.

D. Solus amans nouit quâ spe sua tempora ducat.

Quas segetes ætas, annus quæ vina daturus

Serior, in dubio est: fallunt sua sæpè colonos,

Pastores sua vota: Deus non fallit amantes.

TH. Non teneræ ventos coryli, non frigora myrti,

Vinea grandinibus mixtos non sustinet imbres;

Nec mihi fert tantos animus, quibus æstuat, ignes.

O amor, ô nostras moderatiùs vre medullas.

D. Non pisces saturantur aquis, non rore cicadæ,

Non volucres cantu, nec apes florente salicto;

Nec mihi sufficiunt quibus intus amoribus vrer.

O amor, ô nostras violentiùs vre medullas.

Talia cantabant pueri, dulcesque fouebant

Pectoribus flammæ, & fletibus ora rigabant.

Audit, & vitreâ flauum caput extulit vndâ

Pastorum insolitos Scaldis miratus amores.

IDYLLIVM VIII.
MOYSES INVENTVS.

Argumentum.

*Moysem expositum Merris filia Pharaonis
inuenit, & adoptat.*AD CASPERIVM GEVARTIVM,
CONSILIARIVM ET HISTORIOGRAPHVM
CÆSAREVM AC REGIVM,
ARCHIGRAMMATEVM ANTVERPIENSEM.

BVcolicæ Musæ, labor iste nouissimus esto
Rursus adire Pharon, magnumq; reuisere Nilum.
Niliaco Moysem iactant in gurgite fluctus.
Ah, ne dulce caput violentior obruat vnda!
Ah, ne monstrorum, quæ plurima Nilus in altis
Nurrit arundinibus, puerum ferat æstus ad antra!
Nile pater, quæ te seruato fama per orbem
Hoc infante manet? minus est, quod vastus & in-

gens,
Quod septemgeminò voluaris in æquora cursu,
Quod per te nullos tellus tua postulet imbres.
Sed iam crescentes pronus sol duplicat umbras,
Et vespertino rubuerunt lumine fluctus:
Noctem ille in mediis desertus an exiget vndis?
Exacturus erat, regis nisi filia Merris
Auxilium sæuo melior genitore tulisset.
Liquerat illa suis urbem comitata puellis,
Grataque flumineâ captabat frigora ripâ.

Pars

Pars comitum natos legit inter gramina flores,
 Aut lectos in ferta ligat: pars carmina dicit:
 Illas camporum; tenet has aspectus aquarum.
 Dumque tenet, prono fiscella allabitur alueo.
 Quid ratis ista feret? quærunt. Dirabimur, inquit
 Regina, & rider: simul hoc; simul illa propinquat,
 Iam terigit litus, iam quod cognoscere possit
 Cernit: erat paucis à mensibus editus infans.
 Vagitum tum fortè dabat. Miser, heu! miser, in-
 quit,

Quisquis es, Hebræus certè: miseranda parentes
 Infaustumque genus prodit fors. Nec mora: corbis
 Ex vndis; è corbe puer, velut vnio conchâ,
 Eximitur. Quales parui pinguntur amores,
 Talis erat: leni suffunditur ora rubore,
 Cetera candidior cygnis: mansere relictæ
 Hic illic guttæ, quales in floribus harent,
 Qualis manè nouo tenerâ ros lucet in herbâ.
 Ipsa manu propriâ terfit Regina madorem,
 Inde venustatem contemplans oris, & artus
 Lacteolos: Quàm non, inquit, mittendus in istos
 Hic fuerat casus! en huc vt brachia tendit
 Arridens! vt me blandis aspectat ocellis!
 Infelix Hebræa, Deus cui gignere talem,
 Nec seruare dedit! sed si pater ista iubere
 Sustinet, & nasci Isacidam pro crimine ducat,
 Quis prohibet nos esse pias? crudelior vt sim
 Fluctibus? vt perdam, cui fluminis vnda pepercit?
 Atque vtinam tali fecissent prole parentem
 Me Superi! sed quod natura Deusque negarunt,
 Hoc tibi debebo, Pietas. genuisse putabo,
 Quem sic seruaro: nec me non matris habebit

Ille

196
31

IDYLLIA SACRA.

Ille loco, nostro qui non nisi munere viuet.
 Viue ergò, & sensim regali nomine dignos
 Disce puer mores, nosterque assuesce vocari.
 Quam tibi cumque Dij voluerunt esse parentem,
 Noster eris, raptusque ex amne vocabere Moyfes.
 Dixerat, & puerum regales tollit in vlnas,
 Oscula ceu nato libans, matremque vicissim
 Ille velut teneat, protensis vbera palmis
 Lactis egens quærit. Nutricem filia regis
 Hebraidum è numero quæri iubet: aduenit ipsa
 Pro nutrice parens: Quemque, inquit, tradis alendû,
 O Regina, meus tamquam si filius esset,
 Nec veluti nutrix, sed matris amore fouebo.
 Dicta placent: merces addicitur: vtraque gaudet,
 Regina assumpto, nato Rachobeta recepto.
 Sed iam musa suos excedit rustica fines,
 Nec satis hîc ruri, nec idonea cantat auenæ.
 Coniferâ meliùs pendebit fistula pinu,
 Atque aliis ex hoc numeris tentabimus ire.



1045

LIBER II

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

198

GVILIELMI
B E C A N I
E SOCIETATE IESV
E L E G I A R V M
L I B E R P R I M V S.

GUILIELMI

RECANA

RESOLUTIONE

ELIGIARVM

LIBER PRIMVS

P A R V V L O,
 DEI VIRGINISQVE
 VNIGENITO,
 I E S V
 CÆLI TERRÆQVE
 DELICIO.

PŒSIN non vt alias scien-
 tias acquiri vulgò aiunt;
 alias studio comparari;
 ad hanc frustrà niti, quos
 natura eò non ferat: alias vt ramos
 adoptiuos animis inferi, hanc instar
 primigeniæ stirpis ab radice pul-
 lulare:

lulare: nasci poëtas, non fieri. Sunt tamen qui dicant ab amore se factos, nec nascendo sibi, sed amando ingenium venisse. Cur id ego expertus non sum, Puer dulcissime, cùm de te scripsi? cur ingeniosum amor non fecit? an usquam magis exerere se debuit? an quidquam amabilius quàm tu?

Plal. 47. *Magnus Dominus*, dictum de te olim, & *laudabilis nimis*; parvus factus es, & amabilis nimis. Quem amorem maiestas non obtinuit, benignitas extorquet. Tunc te non amare crimen fuit; nunc etiam inhumanitas est. Potentes erant diuinitatis illecebræ, sed uti magnes maiore vi ferrum attrahit, dum

dum ipse ferro cinctus est; ita postquam humanos artus induisti, hominum corda potentiùs rapis. Præ mortalibus tamen eam vim Superi senserunt. E cælo ad stabulum attracti sunt, & relicto folio tuo, tibi ad præsepe applauserunt. Fortunati pastores, quibus cælestes cantus audire licuit! sed inde feliciores, quòd & ipsi præcones tui fuerunt. Hos æmulari ausus sum, & te carminibus meis materiam facere. Quidni auderem, quando post Cælitum laudes opilionum tibi studia placuerunt? Nec vereor ne tui amantibus nihil profim. Lignis etiam viridibus, qui iam ardet, fouetur ignis; nec ex hortis

C 3

tantùm

tantum amœnissimis, sed etiam
è vulgaribus pratis apes mella col-
ligunt. Cæli terræque delictum ca-
no, quid de carminis elegantia sol-
licitus sim? Artis lenociniis alibi lo-
cus sit; hinc omnis in argumento
gratia.



ELEGIA I.

*Transeamus vsque Bethlehem, & videamus
hoc verbum, quod factum est. Lucæ 2.*



Empora noctis eunt diuini conscia
partus.

Quisquis es, ignauo corripe mem-
bra toro.

Non facit ad somnos hæc nox. ex-
surgite stratis :

Candidiora die tempora noctis eunt.

Ipsa domus Superum non se tenet: arduus æther

Panditur: Aligerum deferit astra chorus.

Exoritur terris noua lux: ferit aëra cantus

Æthereus: cælum quod solet, audit humus.

Nec vigilamus adhuc? studiis nec tangimur istis?

Nec pudor est, si nos lentior ardor agit?

Stirpe fatus nostrâ nostros Deus induit artus.

Gens cæli minus hîc, quod sibi plaudat, habet.

Este procul segnes: iuuat ire, chorusque beatis

Immixtum volvi Numinis ante pedes,

Et tanto venerandum ortu lustrare mapale,

Et dare sacratis oscula liminibus.

Salue parua quidem, nec magnis vsibus olim

Condita; nunc cælis inuidiosa domus.

Non tibi fulgentes vario stant marmore muri;

Arte laboratum non laqueare nitet,

At, quem non terræ, non terris vastior æther

Contineat, septo clauditur ille tuo.

At tibi naturæ magnus se credidit auctor:

Hæc opere ex toto vindicat antra sibi.

Nec qualem cælo credunt regnare, timentque
Mortales, talis sub tua tecta venit.

Inde ciet tonitru, terreque fragoribus orbem :
Præter vagitus hîc sine voce iacet.

Inde ferit fontes, & noxia fulmina vibrat:

In te fasciis brachia victa tenet.

Aspirat tenerum, quidquid tu cernis, amorem :

Maiestas illic, quo timeatur, habet.

Si beat & Superos, si iugi gaudia cursu,

Si fontes illic nectaris ire iubet :

Tu, fontes alios, torantia lumina spectas,

Primaque diuinis spargeris à lacrymis,

Tu planctus calum quibus ipsum commouet, audis,

Vt sua, præque suis vt mala nostra gemat.

Si qualis fuerit semper, quantusque, det illic

Cernere, cernentes assimiletque sibi:

Tu similem nobis, nisi quod sit egentior, ipsum;

Tu, nostri quid sit factus amore, vides.

Fortunata domus, quam præ te regia sordent

Attra! paupertas quam pretiosa tua est!

Præ foribus tibi nunc intendat aranea casses;

Pendeat ad crates sordida tela tuas;

Sit nunc, quam stipulæ, tibi nil opulentius, & quam

Sparsa pavimento quæ iacet herba tuo :

Tempus erit, gentes ad te cum munera mittant,

Quas sol exoriens occiduusque videt;

Ipsa caput mundi cum te colat inclyta Roma,

Et tua præponat montibus antra suis.

Nec fore Iesides hoc non prænouit, Ephratæ

Hæc dum sæpè suas ad iuga duxit oues.

Viderat hos humili suspensos fornice topfos,

Et Domini curtis saxa daturâ locum.

O quoties

O quoties illis pia supplex oscula fixit,
 Et sacram flexo poplite pressit humum;
 Quæque suis Numen lacrymis loca spargeret olim,
 Ipse per hæc siccis noluit ire genis!
 O quoties, hoc ne frigus capraret in antro,
 Arcuit exustum solis ab igne gregem!
 Ergò erit, aiebat, desertis Numen ut astris,
 Rupe sub hæc inopis matris alatur ope?
 Arbitrè ut rerum nostro de nomine dici,
 Davidisque olim gaudeat esse nepos?
 Fortunata spes, puerum quæ prima videbis
 Quærentem matris colla sinumque suæ,
 Nunc ego te, visent olim populique ducesque,
 Figenturque tuo regia labra solo.
 At tu rumpe moras sanguis meus, aspera quamuis
 Hic tibi sint primus saxa futura torus.
 Rumpe moras: nec te terris ostendere differ,
 Sæpè petite mihi, sæpè petende puer.
 Ipsi lætitiâ voces ad sidera mittent
 Intonsi montes: gestiet omnis ager:
 Fundet humus flores: stillabunt nectare colles,
 Et duræ quercus roscida mella dabunt.
 Audiam, & hæc manes inter me fama beabit,
 Et solvam lætus vota vel inde tibi.
 Dixerat. Audiuit cælo tunc Numen ab alto,
 Exceptum laribus nunc, domus alma, tuis.

E L E G I A I I.

Peperit Filium suum primogenitum, & reclinauit eum in praesepio: quia non erat eis locus in diuersorio. Lucæ 2.

Virgo parens facta est: Deus est à Virgine natus:
 Spectatum è cælo turba beata veni.
 Nec te pœniteat formosas linquere sedes;
 Nunc aliquid noster pulchrius orbis habet.
 Qui vobis dominus, nostrâ sub lege teneri,
 Et nostri voluit sanguinis esse puer.
 Spargite purpureos circum cunabula flores,
 Cinnamaque, & tenero balsama mixta croco,
 Et quidquid vestris fouet aura beator hortis,
 Non defecturas ver vbi fundit opes.
 Ver ibi perpetuum: nostro nunc exulat orbe;
 Inque locum nimbis horrida venit hiems.
 Fronde carent frutices: perit sua gratia campis:
 Quo steterant flores, nix iacet alta loco.
 Atque vtinam solæ regiones, sola rigerent
 Flumina! non animos frigus haberet idem!
 Exciperent homines diuinum pignus, & hospes
 Certaret domini quilibet esse sui!
 Spernitur, heu! tectique venit communis egenus,
 Inque suo nascens non habet orbe locum.
 Ah genus ingratum! tibi celsa palatia surgunt,
 Tecta que diuitiis conspicienda suis:
 Compositum lecto mollis te somnus eburno
 Excipit, & pictâ stragula veste tegunt:

Ad

ELEGIARVM LIB. I. 43

Ad miserum rector Superum compellitur antrum;
 Nec quo fessa toro membra reponat habet.
 Excipit infantem durus lapis; inque resectâ
 De fluuiis vluâ, straminibusque iacet;
 Afflatuque bouis, sociique fouetur aselli:
 Hac rerum dominus frigora pellit ope.
 Nate Deo, te longa nouem fastidia menses
 Materno clausum sustinuisse sinu;
 Te nostros sumpsisse artus, infirmaque membra;
 Te patrio terras præposuisse polo;
 Ut tandem in durâ quæras tibi rupe cubile,
 Et pecudes optes inter habere locum?
 Astra vbi nunc? vbi stellatæ, tua regia, sedes,
 Et tot in obsequium millia prompta tuum?
 Nempe amor agresti cælum mutare mapali
 Suadet, & in parua te iubet esse casa.
 Illius imperium plus te, quàm Cæsaris, vrget:
 Fert Cæsar leges gentibus, ille Deo.
 Cum posses quouis, hoc iussit tempore lucem
 Aspiceres, quo non tristius annus habet.
 Nazareos intra muros sua parua parenti,
 Quâ recipi posses, resque domusque fuit:
 Non tibi permissa est contingere; paruaque quamuis,
 Ampla nimis visa est vsibus esse tuis.
 Hanc rupem ferus ah! hæc maluit antra subires,
 Antra quieturo vix satis apta gregi.
 Illic parua tibi pater incunabula nuper
 Fabrili simplex arte pararat opus:
 Et, Manibus quandoque meis hæc ipse mouebo,
 Communis labor hic, dixerat, vxor erit.
 Hic illi, cuius vigili stant omnia curâ,
 Nitemur somnos conciliare leues.

Hic

44 G V I L I E L M I B E C A N I

Hic oculos figam faciem secutus in illam,
 Aligeri quam non absque pauore vident.
 Porriget hic ridens dextram mihi, quamque tenebo,
 Mirabor dominam fulminis esse manum.
 Et modò blanditias, modò verba precantia dicam,
 Atque illi, quicum lusero, vota feram.
 Tu tua coniunges, Virgo, magnumque stupebis
 Auxilio Numen lactis egere tui.
 Hæc, puer alme, pater sibi promittebat, eratque
 Talis de cunis curaque spesque tuis.
 Ah! præsepe tibi pro cunis contigit istis:
 Huc spes, huc rediit patrius ille labor,
 Cur hoc sis passus, causam quis querit? amasti,
 Hæc summa est: hinc lex iam tibi dura venit.
 Eheu! iura tibi iam nunc si talia ponit,
 Subiectumque tuum sic sibi numen habet;
 Si primo crudelis amor te cogit in ortu,
 Quæ numquam fuerant perpetienda, pati;
 Quid faciet, magnis (nec enim mitescere discit)
 Cum te suppliciis viderit esse parem?
 Care puer, quid post exordia talia speres?
 Quis curius vita sic ineuntis erit?
 Ah! tibi ne subeant aliquando tædia cæpti,
 Nec, tanti, dicas, cur mihi terra fuit?
 Ne nimium caros tibi nos, nimis esse querare
 (Vt fumus) indignos pro quibus ista feras.
 Causa sumus, fateor, tantorum sola malorum:
 Esse finas miseros, non eris ipse miser.
 Vilis es & nihili, quia nos extollere cordi est:
 Res maiestatem deprimit illa tuam.
 Sed tamen hoc ipso Deus agnosceris in antro:
 Hic cultum, quem non templa dedere, feres,
Agnitus

ELEGIARVM LIB. I.

45

Agnitus est terris iam nunc tuus ortus Eois:
 Astra procūl cunis sunt famulata tuis.
 Inde ferent qui sis testantia munera reges,
 Et sua submittent hac tibi scepra specu.
 Praueniet gregibus pastorum turba relictis,
 Pars melior populi primitiæque tui;
 Teque vel in pannis venerabitur, & tua supplex
 Numina, quâ caperis, simplicitate colet.
 His tua principiis sensim se gloria tollit,
 Et veniet magno fenore dignus honor.

ELEGIA III.

Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Lucæ 2.

Duitias alius fuscis sibi quærat ab Indis,
 Et sua centenis iugera bobus aret:
 Vos inopes panni, vos fartæ stramine cunæ
 Maiores quantò suppeditatis opes?
 Inuideo vobis, pueri quæ stringitis artus,
 Fasciolar. Cur non hac ego sorte fruor?
 Quem gremio præsepe tuo complecteris, vlnis
 O quanto meliùs pendeat ille meis!
 Vile quidem lignum es: sed, cum tibi pignora
 calum
 Tradidit hæc, quis det, tu quod es, esse mihi?
 Quid loquor? ah! egon' esse quod es? egon' artibus
 illis
 Duritiem cupiam supposuisse tuam?
 Ritu ego brutorum natum excepisse Tonantis,
 Sacraque, quæ lædis, lædere membra velim?

Hoc

Hoc voueant hostes, quamquam quos sentiat hostes

Paruulus hic? à me sit procul iste rigor.

Atque vtinam intranti nostrum licuisset in orbem

Instruere arbitrio tecta torumque meo!

Alta cedro starent, Pariisq; palatia saxi,

Qualia regalis non videt vlla Sion.

Quas premeret cunas, opus Indi dentis, obiret

Purpura, gemmarum pingeret omne genus.

Eminus adstaret vigilum custodia; quales

Ambiuit thalamum, nate Dauide, tuum.

Quod si me seruos inter censere minores,

Postremumque suæ vellet habere domus,

Essem, confiteor, quouis præ rege superbus,

Et caperem fastum non satis ipse meum.

Seruitij merces ô quàm mihi magna daretur,

Si possent illo lumina nostra frui!

Quàm vigilem, quàm me nonnumquam visus

haberet

Intentum obsequiis nocte dieque suis!

Dormiret? ne quid posset turbare soporem

Curarem: foret hæc & mihi cura quies.

Nil vigil aspiceret, quod non vidisse iuaret:

Auribus acciperet non nisi lata suis.

Quid sicæ frondes, quid sint, nesciret, aristæ;

Quid gelidi lapides, & sine veste solum.

Tota domus nardi, succoque maderet amomi:

Qui stabulis afflat, quàm procul esset odor!

Quàm procul vt sordes, quàm sit procul inde re-

motus,

Vt videat matri proxima bruta suæ!

Frigus vt hibernæ cum ventis sentiat auræ,

Nec sit qui paruo luceat igne focus!

Vt

299

ELEGIARVM LIB. I. 47

Ut cunctis egeat, cuius sunt omnia donum ;
 Ut, per quem læti degimus, ipse gemat !
 Auditis ? teneris totum vagitibus antrum
 Personat: & gemitus vox quoque prima Deo est.
 Virgo parens flenti turgentes siccat ocellos;
 Et lacrymis, eheu ! spargitur ipsa suis.
 Parce puer, quibus hanc crucies, dare signa doloris:
 Aptior adueniet planctibus hora tuis.
 Tempus in hoc illos differ, dum, quod modò pun-
 gunt
 Stramina, diuellent flagra cruenta latus.
 Dum crux præsepi succedet; sanguis, & ipsæ
 Pro pannis plagæ dum tua membra tegent.
 Incipe nunc dulci matrem cognoscere risu :
 Incipe virgineo velle sedere sinu.
 Molliter illa suis compressum stringat in vlnis,
 Et ducat blandas cara per ora manus.
 Et modò blanditias leni tibi murmure dicat :
 Et modò det roseis oscula multa genis.
 Oscula quæ stabuli brumæq; incommoda pensent,
 Oscula quæ cælo te petiisse iuuet.

ELEGIA IV.

*Pastores erant in regione eâdem vigilantes,
 & custodientes vigilias noctis super gre-
 gem suum. Lucæ 2.*

Pastores ouium, cælo gratissima pubes,
 Assuetum campis, innocuumque genus,
 Ut gregis hæc vobis custodia numine fausto
 Obrigit ! vt pretium grande laboris erit !

Cernitis

Cernitis Aligerûm lætos per inane volatus?
 Æthereo quantus splendeat axe nitor?
 Cernitis, in terras vt caliregia migret,
 Et nostro dominum quærat in orbe suum?
 Illum iam vobis natum Dauidis in vrbe
 Iessæis virgo regibus orta fouet.
 Ite, sacros partus, demissaque pignora celo,
 Cumque suâ puerum visite Matrè Deum.
 En vocat æthereum festis concentibus agmen,
 Quaque vocat, radiis lux noua signat iter.
 Nec quemquam, quòd sit vilis, quòd rustica, tardet
 Sors sua: nec pudeat, turba quòd estis inops.
 Non auro, non ille iacet spectabilis ostro:
 Non licetor clausas excubat ante fores.
 Adstabunt cunis (cunæ præsepia, panni
 Velamen, lectus canna palustris erunt)
 Adstabunt cunis, puerumque animalia cingent:
 Custodes habet hos corporis ille sui.
 Cetera conueniunt: absint genitricis amores
 Sedulitasque, nihil, quo recreetur, erit.
 Parua licet fuerint, tamen esse videbitis illi
 Præcipuas, quæ vos dona feretis, opes.
 Lac tepidum, passas Engaddi collibus uuas,
 Defruta, & in ceris condita mella suis,
 Quæque parens teneris substernat vellera membris,
 (Hei mihi! læserunt stramina molle latus)
 Excipiet gaudens, & quo fugat æthere nubes,
 Vos illo aspiciet leniter ore puer.
 Vestraque brachiolis complectens munera paruis,
 Quà poterit, matri porriget illa suæ.
 Heu pietas! vix sacra pedem sub recta tulere,
 Et tergit lacrymas (fleuerat antè) puer:

Seque

Seque salutantes vultu ridente salutat,
Quodque Deum prodat, spargit ab ore iubar.
Deproperant illi tenui munuscula cultu,
Procumbuntque solo, concipiuntque preces.
Atque aliquis, quidni facilis pastoribus adsis
Care puer? fies tu quoque pastor, ait:
Te nec oues lassas humeris gestare pigebit,
Nec medicas agris applicuisse manus.
Non erit armentis leo te custode timendus,
Tutaque se mediis inferet agna lupis.
Vbera lacte domum referent distenta capellæ:
In pratis aries vellera tineta geret.
Pabula sufficient steriles iucunda myricæ,
Crescet arenoso fertilis herba solo.
Eia age care puer: tecum noua nascitur ætas,
Primus ab integro temporis ordo redit.
Ferreæ deficiet, toto gens aurea mundo
Surget: iustitiam quælibet ora colet.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita nullius causa timoris erunt:
Tu noua progenies celo demitteris alto,
Occlusamque diu pandis ad astra viam.
Eia age care puer, magnum patris incrementum,
Cara Dei soboles, noster & orbis amor.
Aspice, venturo lætentur vt omnia sæclo,
Vt pax nascenti rideat alma tibi.
Horrida iam positis mitescent sæcula bellis:
Iunget amor populos: otia mundus ager.
Nec rastros patietur humus, nec vinea falcem:
Sponte suâ campos mollis arista teget.
Aurea mala ferent quercus, rubus asper amomum,
Alnus narcissos, & salijunca rosas.

D

Occidet

50 GUILIELMI BECANI

Occidet herba nocens, perdent aconita venenum,
Stactea de taxi cortice gutta fluet.
Occidet & serpens, quâ decipiente parentes
Lethalis fusa est in genus omne lues.
Dixerat: applaudunt comites: notat omnia Virgo,
Et pariter tacitâ gaudia mente fouent.
Memiserum! quòd non hos inter noctibus illis
Sit mihi seruandi tradita cura gregis;
Nec stabulum, & cunas, positumque in stramine
regem
Eius spectauit pars ego magna chori.
Quod licet, illarum se pascit imagine rerum,
Et stabulum & cunas mens sibi nostra facit.
Ante oculos puerum fingo, puerique parentem,
Ante oculos asinum cum boue stare meos.
Oscula sacratissimâ iuuat hîc infigere cunis:
Hîc iuuat ad teneros procubuisse pedes:
Et pueri dulces, & dulces cernere fletus
Matris, & his visis non retinere meos.
Diuinis oculis vt primùm expresserat illos,
Dixit Amor telis nil opus esse suis.
Proiice tela puer, pharetram depone, facesque:
Iam lacrymæ domini sunt mea flamma mei.



ELE-

ELEGIA V.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer. Lucæ 2.

ERgò parùm est cælo stabulum subiisse relicto,
 Et nisi de paleis non habuisse totum?
 Frigoraque, & ventos, & quidquid cogat egestas,
 Quidquid hiems puerum ferre, tulisse Deum?
 Ergò diuinis, tot post incommoda, membris
 Qui vix vllus inest, sanguis oportet eat?
 Saxeus hunc illis cruciatu culter acerbo
 Extrahat? ô durum religionis opus!
 Cuius ad hoc animus, cuius sat dextera fortis?
 Ferreus ah! quisquis vulneris auctor erit.
 Ferreus hoc viso, qui non sibi pectora lædi,
 Nec pueri pœnas æstimet esse suas.
 Ante alios tu te spectaculo Virgo cruento
 Subtrahe: sanguis erit, quem dabit ille, tuus.
 Tu nati tremulos artus, liuentia labra,
 Natiuo roseas absque colore genas,
 Tu se torquentem paruasque leuamine nullo
 Iactantem videas, & patiare, manus?
 Subtrahe te: non sunt rigido tibi vineta metallo
 Viscera, nec ferri semina pectus habet.
 Quid loquor? hæc ipsa est, cultrum quæ stringit,
 & esse
 Sanguineæ legis dura ministra parat:
 Vulnere quæ infami diuinos sustinet artus,
 Nataque de membris membra notare suis.
 Alma parens, huc blanditiæ rediere priores?
 Huc amor, huc animi pignora mille tui?

Quid facis ah? spargas illum modò sanguine, cuius
 Pœna grauis, lacrymas cernere nuper erat?
 Pande sinum potiùs, sitientique vbera præbe.
 Ecce puer blandas tendit ad illa manus.
 Subiicias cultro, cui cannas ante timebas?
 O modò nec nati, nec memor ipsa tui!
 O mater iam non mater, sed inhospita rupes,
 Sed de Caucaseo monte reuulsa filex!
 Crede mihi, nec dura filex, nec inhospita rupes,
 Non nati, non est immemor ipsa sui.
 Blandiùs infantem numquam tractauit, amoris
 Nec tam certa sui, quàm modò, signa dedit.
 Antè sinu fouit; tulit inter brachia; strinxit;
 Inuoluit pannis, composuitque toro;
 Lacte suo pauit; lacrymans lacrymantis ocellos
 Terfit; blandita est; oscula multa dedit:
 Iam vulnus, sed dat cum vulnere nomen Iesu.
 Nil, puero maius quod dare posset, erat.
 Hoc præ blanditiis, & præ complexibus illum,
 Hoc præ materno lacte sinuque iuuat.
 Hoc est, quod cælo quæsitum venit ab alto:
 Hoc, pretio quouis quod sibi stare velit.
 Aligeri manibus tremulis legere cruoris
 Primitias, Patri quas pia Virgo litat.
 Et lacrymas inter gratum quoque munus obortas:
 Hoc, supreme Deus, suscipe pignus, ait.
 Quod, nisi de nati tibi corpore gratius esset,
 Quàm mallem è venis elicuisse meis!
 Et tamen his etiam venis, hoc corpore fluxit,
 Et pars est sanguis sanguinis iste mei.
 Sancte Pater, sibi qui restat si filius offert,
 Et pretium accepti nominis esse velit;

ELEGIARVM LIB. I.

53

Si sua vulneribus reddi magis apta ferendis
 Membra, caput spinis, terga latulque flagris;
 Carnificumque meæ dextras succedere dextræ
 Optat, & illæsum nil remanere sui;
 Da Pater his hominum manent solatia plagis:
 Fontibus his, quiuis vnde iuuerut, eat:
 Nullaque fundendi, fusi pars nulla cruoris
 Non habeat fructum, te tribuente, suum.
 Mortales gaudere. Iubet rata Virginis esse
 Vota, Pater, nati quæ videt esse sui.

ELEGIA VI.

Vocatum est nomen eius IESVS. Lucæ 2.

A Vdistis? puerum mater sua dixit Iesum.
 Quisquis adest, flexo poplite tangat humum.
 Sternite vos alto venientes æthere turmæ;
 Et quas damnatis Styx tenet atra locis;
 Ante omnes, quibus illud erit magis vtile nomen,
 Corpora mortales sternite vestra solo.
 Cernitis? ipsi etiam, sacra qui præsepia cingunt,
 Nomen ad hoc proni hos asinusque iacent.
 Nomen ad hoc stabulo spirauit mitior aura:
 Non Aquilo puerum, non fera læsit hiems.
 Muratos pannos, mutatas sensit aristas,
 Molliaque in cunis stramina facta suis.
 Quid tum, si roseo perfundi membra cruore
 Debuit, & læsus parte carere sui?
 De non inciso nec sudant balsama ligno,
 Myrrha nec integris stillat ab arboribus:

D 3

Nec

Nec tribui nomen, nisi læso, tale decebat.

O quouis dignum vulnere nomen emi!

Nomen quod myrrham, quod vincat balsama, vincat

De terrâ quidquid diuite mittit Arabs.

Cinnama nomen olens, nardumque: suauius illo

Melle, quod in ceris Attica ponit apis.

Cur aliquis curis animum consumat amaris;

Pressaque tristitiæ pectora mole gerat?

Pro gemitu & mæstis, frustra quibus astra fatigat,

Questibus, hoc illi nomen in ore sonet.

Hoc simul auditur, fugiunt planctusque, dolorque;

Terrores abeunt, sollicitique metus.

Si qua trahit secum suspiria, pascere illis;

Si gemitus, sunt quos elicuisse iuuat.

Nec lacrymæ currunt, nisi fortunatus amanti

Queis chorus ardores lenit, alitque suos.

Ite leues venti, terras hoc ferte per omnes

Nomen, quas lustrat sera recensque dies,

Per, modò quod plaustris, ratibus modò curritur,
æquor,

Per, propior solis quas rota pingit, aquas.

Auditum Hesperis, auditum hoc nomen Eois,

Vrat & Eois, vrat & Hesperios.

Auditum pelago ventos componat & vndas,

Et ratibus placidum per mare sternat iter.

Inter saxa sonet, quibus ingens Caucasus horret,

Fient Caucasæis mollia saxa iugis.

Hoc Rhodope niuib, queis semper tecta, sub
altis

Audiat, in riuos sentiet ire niues.

Possit ad hoc catulis tygris mitescere raptis:

Possit ad hoc ouibus nolle nocere lupus.

Inscriptum

ELEGIARVM LIB. I. SS

Inscriptum Libycis hoc deueneret ur arenis,
 Et rabiem ponat torua læna suam.
 Si lapis, hoc incide tuis, Amor auree, tædis :
 Hoc pharetram, hoc arcus, hoc tua tela nota.
 Nulla faces istæ non vrent pectora, quamuis
 Vinc̄ta gelu, quamuis frigidiora meo.
 Durabunt ignes quos hinc succenderis, & quam
 Foueris hoc oleo flamma perennis erit.
 Nec, quàm quæ nomen pro cuspide præferat istud,
 Certior in pharetrâ est vlla sagitta tuâ.
 Idque vtinam cupias his explorare medullis;
 Et telum cordi figere tale meo !
 Fige puer, quæso, nec sit medicabile vulnus :
 Felix ! si mihi tu funeris auctor eris,
 Atque vbi supremus iam labris halitus ibit,
 Hoc, facito, veniat nomen in ora mihi.
 Hic mihi destituat mortales spiritus artus,
 Et longum fidens ingrediatur iter.
 Hæc illi superas referabit tessera sedes ;
 Hac subeat tutus iudicis ora sui.

ELEGIA VII.

Ecce Magi ab Oriente venerunt. Matthæi 2.

Quæ procūl aduentat peregrino turba paratu?
 Quod graditur campis agmen, Ephrata,
 tuis ?
 Æthiopum agnosco vultus, illaque profectas
 Deterrâ turmas, sol vehit vnde diem.
 Non tamen infestis vrbes populentur vt armis;
 Non vt castra locent hoc inimica solo.

D 4

Virginei

Virginei partus & nati nuntia Regis
 Stella fuit longæ causæque, duxque viæ.
 Ut iuuat hâc causâ subiisse pericula, Reges,
 Ignoras terras hac petiisse duce !
 Ut Solymam repleffe metu, turbasse tyrannum;
 Si fureret, nullas pertinuiffe minas !
 Et nunc auspicio meliore subibitis urbem
 Claudentem muris gaudia vestra suis :
 Isacidum quâ Rex, astrique videbitur auctor.
 O quanto stellis pulchrior ipse suis !
 Cernitis, vt steterit qui cælo præuius ibat
 Ignis, & hîc dominum nuntiet esse suum ?
 Cui superimmineat rupi ? quæ limina signet ?
 Limina regali non adeunda pede.
 Hæc, si nescitis, regis quem quæritis aula,
 Hæc illi est, cælum cui fuit antè, domus.
 Hîc gemit, hîc plorat, tremit hîc malè tectus, & alger:
 Hîc illi pauper cum sene mater adest.
 Bos comes, & vector genitricis asellus eodem
 Pabula præsepi, quo iacet ille, petunt.
 His sociis, hoc, Heroës, habituque, locoque,
 Vos expectat inops donaque vestra puer.
 Quis credat ? nihil hîc nutant: animalia, pannos,
 Algôres audent credere digna Deo.
 Succedunt stabulo: sternunt regalia proni
 Corpora, quadrupedes quo iacere, solo.
 Appendunt sacris diademata regia cunis :
 Ad pueri videas sceptrâ iacere pedes.
 Iamque nitere auro pudor est, regesque videri :
 Pannosâ mallent corpora veste regi.
 Inde locum lustrant, oculosque per omnia ducunt:
 Quod non mirentur, nil casa pauper habet,

Iam

Iam præsepe stupent, fœnique rigentis aceruum,
 Signaque quæ pecudum sunt pede facta vident;
 Lumina iam adstantis vuluimque habitumque pa-
 rentis:

Iam puer hærentes attonitosque tenet:
 Et tacite: Quàm non, aiunt, nos stella fefellit!
 Quàm fortunatum carpere iussit iter!
 Duxerit ad parui tegmen nos vile tugurî,
 Aptaque, quæ pecudes, non Deus, antra colat:
 Se tamen hîc prodit, quodque est, cognoscitur esse
 Vel pannos inter pauperiemque puer,
 Hic puer, hic ille est, cui sol, cui seruit yterque
 Axis; cui terræ, cui famulantur aquæ;
 Iphis qui dicit, licet infans, iura tyrannis,
 Et tenero regum sub pede colla tenet.
 Hic puer æterni natus genitoris amorque;
 Nec minùs, ô Virgo, sanguis, amorque tuus.
 Quid tum, si cunas pictum velamen acantho
 Non obit? ornatus pulchrior ipse sibi est.
 Ut blanda est facies! ut lumina dulciter ardent,
 Ætherias animis subiiciuntque faces!
 Quàm matri similis! quàm non mortalis vtrique
 Forma! tamen plus hic, quod venereris, habet.
 Et nunc ecce suos ad nos conuerit ocellos.
 O merces longæ digna labore viæ!
 Sic secum, & fundunt lacrymas. Hæ prima fue-
 runt;
 Expediunt gazas altera dona suas.
 Dant regale aurum, & lacrymatam cortice myrrham,
 Adiiciunt sacris thura cremanda focis,
 Et super hæc animum: nihil est pretiosius illo;
 Nil regum, quod det, dextera maius habet.

58 G V I L I E L M I B E C A N I

Lætatur puer, & meritos agnoscit honores,
 Et pretium donis, quæ capit, ipse facit.
 Aurum inopi assignat matri, patrique remittit
 Thura, sibi myrrham prensat utrâque manu;
 Absconditque sinu, gustandamque admouet ori:
 Agnoscit mortis præuia signa suæ.
 Tum dare complexum, regumque hæere lacertis
 Sustinet, & caro matris abesse sinu.
 Qui sensus animi, quæ flammæ, quæ noua surgunt
 Gaudia, dum iungunt os puerile suo?
 Et lubet in patriam, Reges, & Eoa reuerti
 Litora? Sic cælo somnia missa iubent.
 Ite boni, quæ vos Superûm mandata reducunt,
 Et quæ præcones vult puer esse suos.
 Mortalemque Deum, visumque in carne referte:
 Este aliis, vobis stella quod antè fuit.
 Felix, hoc stabulo totum qui transigat æuum,
 Figat & æternos hac sibi rupe lares!

E L E G I A V I I I .

*Venit in spiritu in templum Simeon, &
 cum inducerent puerum Iesum parentes
 eius, &c. & ipse accepit eum in vlnas suas.
 Lucæ 2.*

FErte faces templo; rutilent altaria flammis;
 Infolito niteat clarior igne dies.
 Ecce sacris sese Virgo penetralibus infert,
 Cui venit & pietas, & decor ipse comes.
 Forma illi, qualem nec præfert candida Phœbe,
 Nec matutinis lucifer ortus equis.

Tam

ELEGIARVM LIB. I. 59

Tam formosa, tamen magis hoc, quod ad vbera
gestat,

Pignore, quàm specie conspicienda suâ est.

O adyta! ô magni felicia culmina templi!

O fortunatum, quod premit illa, solum!

Tempus ad hoc, quamuis vobis & cedrus & aurum
Materies fuerit, vile fuistis opus.

Iam pretium i venit, primamque nouissima vincit
Gloria: iam nullus dignior orbe locus.

Plaude Sion: tibi quem promitti sæpius audis,

En tandem vindex æthere missus adest.

Inferiturque suam Superùm dominator in ædem,

Iam puer, & teneræ iam leue matris onus.

Quò modò deuoti flammis cultroque iuueni?

Quò cruor, & sacris exta cremanda focis?

Mitte greges ouium, nec sentiat hostia ferrum,

Quæ veniente die, quæque cadente cadit.

Sistitur ad sacras agnus diuini aras,

Hostia supremo dignaque parque Deo.

Infelix, quod non illum cognoscere cures,

Nec, quæ sit mater, quis puer ille, roges!

Rumpe moras Simeon, & quâ sit origine natus,

Quid veniat, quo sit dignus honore, doce.

Accurrit: vires animus facit; altaque templi

Limina iam senio nil remorante subit.

Hic vbi virgineis portari Numen in vlnis

Attonitusque animi, deueneransque videt:

Ergò tuo tandem descendens, inquit, Olympo

Venisti populi spesque salusque tui?

Quique prius cælo nos exaudire solebas,

At tua nunc vltro templa domumque venis?

Quin

i Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plus quàm pri-
mæ. *Aggai 2.*

60 G V I L I E L M I B E C A N I

Quin etiã mediã gaudes in plebe latere,
 Et partem turbæ pauperis esse iuvat.
 Rex Superũm, quã non tibi pristina gloria cordi?
 Maiestas vilis quã tibi facta tua est?
 Antè pedum fulcro nimis accessisse tuorum
 Crimen erat; populi te modò turba premit.
 Hæc loca visentem, nubes te densa tegebat;
 Est modò visendi copia plena tui.
 Votaque more nouo corã tractabilis audis,
 Orantũm lacrymis iungis & ipse tuas.
 Qui pennas Cherubim subiectaque terga premebas,
 Virgineo gaudes nunc residere sinu:
 Sic te moliri quiduis, & ad omnia verti
 Cogit amor, similem nec finit esse tui.
 Hactenus. At tradi geminos vti deinde palumbos,
 Quæque solent inopes munera ferre, videt:
 Hæret, & , O nostri generis mundi que redemptor,
 Hæcne, rogat, pretium sunt, puer alme, tui?
 Ah quantò pluris tibi nos constabimus olim,
 Vulnera erunt nummũm cùm numeranda loco!
 Tum puerum poscit: videt, ardescitque videndo:
 Iungit per longas oscula pressa moras.
 Stringit, & , O, inquit, gelidi senis vltimus ardor,
 Ten', puer, accipio? ten' ego, nate Deo,
 Inualidumq; artus, moribundaq; membra gerentem
 Aspicio? manibus sustineoque meis?
 Heu pietas! heu dulcis amor! tantũmne mereri
 Visa tibi miseri vota precesque senis?
 Certè alacrem, latumque, ac vitã cedere promptum
 Dimittis seruum nunc, Pater alme, tuum.
 Atque vtinam (quid enim post hæc oprabile restat?)
 Summa dies oculis fulserit ista meis!

Vidi,

Vidi, quam iussæ gentes sperare salutem :
 Quod lumen populis præsidiumque pares :
 Ifacidum qui surgat honor, quæ gloria plebi :
 Ulteriùs votis non licet ire meis.
 Quò, Pater, ingratos extendam longius annos ?
 In terris viso lux gravis ipsa Deo.
 Mors veniat, dumq; hùc specto, mihi lumina claudat,
 Et ferre ad manes nuntia læta sinat :
 Mox fore, cùm victis fugiant Acheronta tenebris,
 Et mutent superis tristia regna locis :
 Quod fuerat magno promissum semen Abramo,
 Hos vidisse oculos, has tenuisse manus.
 Sic orat, pignusque suæ cæleste parenti
 Reddit, & En, natum fuscipe, mater, ait ;
 Dumque licet, gaude. Quantis mæroribus olim,
 Infelix, quantis conficere malis !
 Ecce dies veniunt, cùm, ceu spectabile signum,
 Impetet hunc telis impia turba suis.
 Quotque perent illum, tot tu feriere sagittis :
 Amborum plagæ, quas feret alter, erunt.
 Sarcina grata tuis sedeat nunc ille lacertis,
 Pectoribusque premat pectora cara suis.
 Quæ nunc ille premit, transibit pectora mucro,
 Inque animum vulnus visceraque ima feret.
 Dixerat, & largo rigat ora senilia fletu,
 Et miseræ iam nunc ipse dolore dolet :
 Ipse etiam, causâ, dubites, matrisne, suæne,
 Vagitu præfert tristia signa puer.
 Virgo oculos cælo tollens: Pater optime, quæ me,
 Quæ cupies natum ferre, feremus, ait.
 Ille tuas tibi nunc offertur paruus ad aras :
 In luctus crescat, nil moror, ille meos.

ELEGIA IX.

*Remansit puer Iesus in Ierusalem, & non
cognouerunt parentes eius. Lucæ 2.*

ANnua festa vocant: Solymam pete, regia Virgo:
Sit comes assuetæ virque puerque via.
Nonne vides, quanto incensus genitoris amore
Gestiat hoc tecum carpere natus iter?
Obsequitur Virgo studio natique, suoque,
Quæque ferant templo munera parua parat.
Sacra litant: sacris repetunt sua tecta litatis.
Ille (quod ignorant) nectit in vrbe moras.
Prima parens, sed non nisi cum nox instat, abesse
Comperit, & Coniux heu vbi natus? ait.
Ille metu pallet subito: scitatur amicos
Anxius, inque agros prospicit, inque vias.
Et tamquam propè sit, possitque audire vocantem,
Dat signum, quo sint mater & ipse loci.
Iam Fili, iam care puer, iam clamat, Iesu:
Ipsa etiam Iesu, Virgo, venisne? rogat.
Vesper erat: non ad solitæ consortia mensæ,
Non puer obscuræ tempore noctis adest.
Tum verò incusant sese, miscentque querelas:
Alterius luctu crescit vtrique iuuus.
Et cur, mater ait, sese subduxerit? heu me!
Sollicitor mores ipsa timere meos.
Angor, & admissæ quamuis non conscia culpæ,
Quod patior, timeo me metuisse pati.
Et nunc ille aliquâ defessus fortè plateâ
In nudo posuit languida membra solo.

Nec

Nec stipulæ saltem, quales inuenimus olim,
 Nec puero tectum, nec cibus vllus adest.
 Ah ne illum, qui nunc cadit æthere, noxius humor,
 Ne frigus noctis, duraque lædat humus!
 Ah teneros ne longa fames exhauriat artus,
 Siftaturque oculos pallidus ante meos!
 Digna quidem non sum, quicum velit ille morari:
 Quam faceret matrem, sed neque digna fui.
 Fallor? an alterius stat nunc exclusus ad ædes,
 Et frustrà, postem laxet vt illa, rogat?
 Pande i fores, dicit, venerunt tempora noctis,
 Cara soror, moto cardine pande fores.
 Iam mihi cincinnos gelidæ tinxere pruina:
 Nocturno plenum iam mihi rore caput.
 Quid faceres hosti, quæ sic excludis amantem?
 Pande, soror, moto cardine pande fores.
 At semel exutas negat illa resumere vestes,
 Nescia diuinis cedere blanditiis.
 Tempora causatur somni, lotosque recenter
 Demens ah metuit commaculare pedes.
 Non sponsæ curat, non blandum nomen amicæ,
 Non quod formosam, quod sine labe vocet.
 Nate, quid ingratae traducis ad ostia noctem?
 Huc ades: hæe pandent se tibi sponte fores.
 Ipsi te postes, ipsum te limen, & ipsæ,
 Vt cupias, orant accelerare seræ.
 Mater amans, & amata tibi, nisi fallitur, orat,
 Et desiderio deficiat ægra tui.

Sic

i Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immacu-
 lata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei
 guttis noctium. Expoliaui me tunicâ meâ, quomodo in-
 duar illâ? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos.
Cantic. 5.

64 G V I L I E L M I B E C A N I

Sic illa; & meminit, Simeon quæ dixerit olim,
 Et gladius, quo sit confodienda, subit.
 Deque senex gladio fuerit quocumque locutus,
 Accepi iam nunc non leue vulnus, ait.
 Nec medicina meo speranda est vlla dolori,
 Qui fecit plagam ni mihi præstet opem.
 Nec minùs inuigilat curis, secumque maritus
 Quærit, quæ puero facta, vel vnde mora.
 Cognatumne suum nemorum secreta colentem
 Viderit? & soli solus adesse velit?
 An potiùs seductus, ait, regione viarum est,
 Nec potuit turbâ nos prohibentè sequi?
 Nam, puto, non alias hinc est abiturus in oras:
 Ostensum populo se volet antè suo.
 Ægyptum fuit ille quidem mihi visus amare,
 Cùm domus hîc nobis perfugiumque fuit;
 Quando sed in patriam iussi sumus inde reuerti,
 Cur rear huc illum velle referre pedem?
 Cælesti minùs est cur suspicer arce receptum,
 Hîc nondum summum quando peregit opus.
 Forsan at Herodes patrias renouauerit iras,
 In se quærentes incideritque manus,
 Quæque pati primis Pater illum noluit annis,
 Forsan adest, quo sint perpetienda, dies.
 An frustra metuo, vanisque timoribus angor,
 Et nondum nobis imminet ille dolor?
 An citò se nobis, & secum quidquid amamus
 Restituet, miseros nec sinet esse diu?
 Sic mæstus mæstâ noctem cum coniuge ducit,
 Affectu vario distrahiturque senex.
 Vt modò deprimitur vento, modò tollitur vnda,
 Iam sperat, iam spes victa timore cadit.

E L E-

ELEGIA X.

Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum: & factum est post triduum, inuenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum. Lucae 2.

EHeu! quàm tardæ labuntur amantibus horæ,
 Nec solito tempus creditur ire pede!
 Noctis erat medium; transactam Virgo putauit,
 Et quæsta est nondum Solis adesse iubar.
 Sol aderat, stellasque dies abscondere cælo
 Cæperat: hesternum rursus initur iter.
 Si quis adhuc dubiâ sub prima crepuscula luce
 Eminus occurrit, Fallor, an, inquit, adest?
 Scrutatur quæ fixa solum vestigia feruet,
 Et pressam noto pondere quærit humum.
 Nunc hanc nunc oculos partem deflectit ad illam,
 Si qua est in varias secta platea vias.
 Vnâque, seu pastor, siue est conspectus arator,
 Vox est, Ecquis iit ista per arua puer?
 Ut Solymam ventum est, vicos & compita lustrat,
 Quoque ferat, dubitat, quò referatque pedem.
 Ipso quo properat studio tardatur, & omnem
 Conspergit lacrymis mœsta, notatque locum.
 Hîc, ait, in reditu fuimus: transiuimus illac:
 O coniux, nobis huc fuit vsque comes.
 Hîc, ô me miseram! (sed cur quid tale timerem?)
 Implicitus dextræ desit ire meæ.
 Altera sollicitæ, iamque altera nascitur Eos,
 Incertas quòd non cesset obire vias.

E


Res

Res noua, confertâ populis sic vrbe vagari.
 Quid faciat? cedit victus amore pudor.
 Progreditur: nunc hos, nunc flens interrogat illos:
 Describit, quales præferat ore notas.
 Tali, inquit, facie est, qualē (nisi quod modò nostram
 Deformat luctus) cernitis esse mihi.
 Alter in alterius dignosci possumus ore:
 Squalor abest illi; cetera matris habet.
 Quæ mihi continuo turgent modò lumina fletu,
 Illi sidereo pulchrius igne micant.
 Funduntur flauis per lactea colla capilli:
 Multa affusa labris gratia, multa genis.
 Quale ebur asperso dilutum murice, qualis
 Si rosa lacte natet, talis in ore color.
 Quò caput obuertit, nitet illic purior aër:
 Quos videt, his castus leniter afflat amor.
 Cultus adest simplex, amethystina vestis ad imos,
 Nostrâ texta manu, defluit vsque pedes.
 Ista patent cunctis; nos plura videmus in illo:
 Plus aliquid formâ, quo capiamur, habet.
 At modò nos puero lux tertia conspicit orbos.
 Ah! vt conficerer, plus satis vna fuit.
 Vos ego per matris (vocem suspirat ad illam,
 Appositaque premit pectora mota manu)
 Vos ego per matris nomen, Solymitides, oro,
 Dicite si vobis visus in vrbe fuit?
 Illum ego vel mediâ Galilæi Regis in aulâ
 Non timeam sæuos inter adire duces.
 Ad Romana meos prætoria si quis amores
 Vidit, Romanis inferar agminibus.
 Nil agit infelix, frustra queriturque, rogatque:
 Augetur dolor hinc, vnde requirit opem.

Conuersura

Conuersura preces aliò, questuraque cælo,
 Ad templum, miseros quo Deus audit, adit.
 O rerum facies! hîc en, hîc illa cupitos
 Ah nimiùm vultus, oraque cara vider.
 Hîc sedet in mediâ populique senumque coronâ,
 Datque sui specimen non puerile puer.
 Iam, veluti dubitans, interrogat ille peritos:
 Responsis turbam iam tenet ipse suis.
 Seu sua depromat, seu Vatum oracula pandat,
 Pendere à pueri non pudet ore senes.
 Vnde, rogant, istis sapientia talis in annis?
 Atque aliquis, Felix quæ tibi mater, ait.
 Felix quæ talem gestauit ad vbera natum!
 Viuat, sitque diu pignore læta suo.
 Dixerat. Ille palàm matrem confessus honore,
 Complexum turbâ conspiciente perit:
 Solaturque ægram, luctumque in gaudia vertit,
 Utque ita quæsitum se iuuet esse, facit.





GVILIELMI
B E C A N I
E SOCIETATE IESV
ELEGIARVM
LIBER SECVNDVS.
AVSTRIACA.

GUILIELMI

DE CANI

SOCIETATE IESU


IN REGIA

LIBR. SECUNDVS

AVSTRICA

216
71

IVSTINIANO
TRIEST,
EQVITI,
DOMINO DE RVDDERSHOVE,
LOVENDEGHEM , BELLEGHEM,
OVERACKER, LAETHEM, &c.

 ERILLVSTRIS VIR,

Quæ aliquando mandante te composita sunt, amant modò sub tuo nomine poëmata prodire.

Accipe iussis

Carmina cœpta tuis.

Renouabunt tibi memoriam illius temporis, quo Ferdinandus Hispaniarum Infans Gandauum triumphabundus aduënit. Quis ille dies fuit? qui apparatus? qui splendor operum? quæ lætitiæ

E 4

&

& gratulationis signa? suator & auctor tu fuisti. Tibi potissimum debet, quantum Gandauensis ciuitas laudem meruit. Summum Magistratum gerebas, nec poteras quo in Regem animo esses, in eius fratre non ostendere. Gubernatores patriæ excepisti sæpius; Ferdinandum tantò magnificentius, quantò dignitate ceteris antecelluit. Quæ eò facerent, præterquam quòd magnanimitas tua tibi suggereret, didiceras iam olim, cum varias Regum aulas regionesque iuuenis lustrasti. Aliò Regis tui Legatos comitatus es: Romam anno sæculari M. DC. religio te traxit. Reliquam inde ætatem sic egisti, ut non tam tuus, quam patriæ & Reipublicæ fueris. Anno M. DC. XIII. fossæ Gandauo Brugas ducendæ præfectus es. adeò iam tum perspecta fuit prudentia tua. Spectatores operis Albertum & Isabellam Belgij Principes habuisti; Marchionem Spinolam, Comitem Buquoyum,
D. Lu-

D E D I C A T I O. 73

D. Ludouicum Velasquium in arce tuâ
 Louendeghemiâ etiam hospites, om-
 nes solertiæ tuæ laudatores. De aliis
 muniis quid dicam? quoties, quamque
 præclarè Gandauenſi Magistratui præ-
 fueris, non ciues modò testes sunt, sed
 & opera moleſque quæ ad ornamentum
 ciuitatis, quæ ad munimentum excita-
 tæ. Honorem illum tuum in Reipublicæ
 commoda vertiſti. Belli subsidia cum
 liberaliter ſemper curares, ſic fuiſti in
 Regem obſequioſus, vt populo onero-
 ſus non fieres: ſic religioſas familias ege-
 noſque ciues ſubleuaſti, vt alios non
 grauaris. Non tu Reipublicæ incubuiſti,
 ſed illa tibi. De ſtatu Flandriæ, de peri-
 culis, de ſubueniendi modo Duces exer-
 citus, Moderatoresque Belgij tam op-
 portunè ſapienterque monuiſti, vt eo
 nomine & illi multum tibi detulerint,
 & patria etiamnum obſtricta ſit. Viues
 illis meritis, neque mori te virtutes tuæ
 ſinent. Sed & immortalitate iſtâ morta-

lis quodammodò frueris. Quibus annis alij decrepiti sunt, robustus es & valens. Octogenarius defectum ætatis non sentis : corpori vegeto & erecto ad plura quotidie passuum millia pedibus conficienda vires supersunt : animus sic comparatus est, vt iam vel maximè eluceat in te Tullianum istud: Mens, ratio, consilium in senibus viget. Vtinam, quod menti illi probetur, aliquid ego adferam ! non tamen adeò versus meos, quàm studium, quo illos tuo nomini inscripsi, velim tibi placere.



ELE-

ELEGIA I.
 CAROLI V. IMPERATORIS
 APVD GANDAVENSES NATI
 GENETHLIACON.
 AD VRBEM GANDAVVM.

*Cùm eam Ferdinandus Hispaniarum Infans
 triumphali pompâ ingressus, proavi sui me-
 moriam renouaret.*



ANDA faue: da thura focis: da
 munera templis,
 Qualia nec victis hostibus antè
 soles.

Iam bello partos superas in pace
 triumphos,

Teque aliquid, quamuis maxima, maius habes.
 Quem maria & terræ, quem mox sibi regia cæli

Vindicet, ille tuâ nascitur vrbe puer,
 Æra sonent: latè festiuo splendeat æther

igne: fremant plausu lætitiæque viæ,

Ducantur ludo noctes, agitetque iuuentus

Læta choros: quemquam sit doluisse nefas.

Vicini colles, vicina assurgite siluæ:

Scaldi, iube fluctus purius ire tuos.

At tu vitales almi sub luminis oras

Edite, spes hominum, Carole, cura Dei,

Accipe qui rerum successus & ordo tuarum:

Præscribant vitæ quem tibi fata modum.

Quas

76 G V I L I E L M I B E C A N I

Quas nec nouerunt alij, moderabere terras :

Surget in imperio noxque diesque tuo.

Augebis virtute tuâ, quod auita parauit.

Auspiciis crescent regna paterna tuis.

Et proavis tu multa licet, tibi plura nepotes

Debebunt, per te qui caput orbis erunt.

Ecce tibi iam nunc extremæ munera gentes,

Obsequiique sui pignora certa ferunt :

Et dominas flexo veneratæ poplite cunas

Aspectu certant se fatiare tuo.

Fallor ? an excelso Iouis armiger ales Olympo

Hæsurum augustis fert diadema comis ?

Suscipe dona Dei, populisque assuesce regendis :

Vel teneras poterunt sceptrâ decere manus.

Sceptrâ quidē tibi mox; sed erunt simul arma gerenda.

Gallia tranquillos non sinet ire dies.

Bella, puer, video, crudelia surgere bella,

Et coniuratos in tua fata duces.

Attu ne terrere minis. Dant bella triumphis

Materiam. Gaudet sanguine nomen emi.

Rex animis armisque ferox in prælia surget,

Et tibi, Pelidæ quod fuit Hector, erit.

Ecce per aërios rapit arduus agmina montes,

Nec timet Alpinas primus inire niues.

Iam tenet Italiam, turmasque lacescit Iberas.

Quid facis ? inuictas gens habet illa manus.

Stant acies: dant signa tubæ: concurritur. Eheu !

Ticini quantum sanguinis vnda vehet !

Miscentur cædes: perimuntque, caduntque vicissim:

Sed tamen indomitus fortiùs instat Iber.

Inter vtrumque diu volitat victoria: tandem

Austriacas Aquilas notaque signa petit.

Maxima

Maxima quæ sita est : maior modò gloria restat.
Post hostes, animum, Carole, vince tuum.
Et bellum, & belli victoria finiat iram.
Vindicta est regi pulchra, fuisse pium.
Prospera Mars spondet: sed ad arma venire coactum,
Amplecti pacis fœdera sponte decet.
Pax placet. Exhausti bellis gaudete coloni;
Atque oleæ lætas cingite fronde comas.
Innocuo gladium miles commutet aratro:
Occupet in tenebris tela cruenta situs.
Quid loquor? impietas irâ comitata doloque
Insidias alias & noua bella parat.
Carole, quid speras in tempora longa quietem?
Hostis adest: turmas ad sua signa voca.
Ecce rebellatrix Germania cornua tollit,
Et domini sumit in caput arma sui.
Sed non & sumpsisse volet. dabit improba pœnas.
Nemo in te poterit perfidus esse diu.
Parce tamen, posito si quando furore, scelusque
Fassa, tuos supplex concidat ante pedes.
Vincere multorum; proprium non perdere victos
Sit tibi: proximior gloria nulla Deo est.
Fulminat ille quidem; sed paucos fulmina lædunt:
Contenta est solo Numinis ira metu.
Sed tamen interdum nocet & clementia. Multis
Ferri acies, multis attulit ignis opem.
Tu quoque ne nulli sis implacabilis: hostem
Crede tuum, quisquis Religionis erit.
Religio passis ad te miseranda capillis
Confugit. heu quantis fluctuat illa malis!
Et tamen, Odrysiò quæ seruit terra tyranno,
Pacem habet, & felix impietate suâ est,

Et

Et veteres clades, & nostri probra recenset
 Nominis, & magnum ridet inulta Deum.
 Vade age, damnatis infer pia gentibus arma
 Bistonios ultra Sarmaticosque sinus.
 Hic odia, æternasque gere implacabilis iras :
 Hac causâ pulchrum crede piumque mori.
 Sospite te, Scythicas paueat Germania Lunas ?
 Austriaco rutilent Turcica signa solo ?
 Sospite te, infames populentur littora classes
 Itala ? sint populis æquora clausa tuis ?
 Auerrant Superi. Vertes hoc omen in hostes,
 Captaque cum dominis barbara rostra trahes.
 Per medias acies, Libycas penetrabis in vrbes ;
 Accedet titulis Africa terra tuis.
 Fallor ? an Ismariis video stare agmina campis,
 Byzantiq̄ue arces, mœniâque alta quati ?
 Me miserum ! cur hoc aliquis nostro inuidet æuo ?
 Successusque tuos propria damna putat ?
 Quisquis is est, precor vt ne sit sine vindice, quæque
 Hostibus inferri non sinit, ipse ferat.
 Nec tamen impedit quin ultra solis & anni
 Notum iter extremo des noua iura mari :
 Herculeasque ultra metas, Bacchiq̄ue labores
 Austriacum nomen impetiumque feras :
 Dum laudis famæque satur, moderamina rerum,
 Sceptraque deponas, sufficiasque tibi.
 Tum te sublimem titulos super atque trophæa
 Ad cælum niueis Gloria tollete quis.
 In tua certantes ibunt præconia vates.
 Hei mihi, nil magnum quod mea Musa sonet !
 Non maiora tamen laudum monumenta tuarum,
 Quàm benefacta tuæ posteritatis erunt.

Ergò,

ELEGIARVM LIB. II. 79

Ergò, vbi de summo terras spectabis Olympo ,
 Quæque animis fuerant regna minora tuis ,
 Aspicias illic dignos te patre Philippos ,
 Quorum vita salus duplicis orbis erit.
 Aspicias Carolos, æternaque Ferdinandos
 Nomina, in Austriacum nomina nata decus.
 Quorum aliquis proauum Belgis vt reddat, & æuum
 Olim restituat per tua facta tuum ,
 Annue cum reliquis de cælo , Carole, Diuis.
 Post tua sic etiam fata superstes eris.

ELEGIA II.
 AD BELGICAM.

*De Serenissimi Ferdinandi Gubernatoris illi
 destinati ex Hispaniâ in Italiam nauiga-
 tione.*

I Re parat dubias Fernandus classe per vndas :
 Vota fer ad magnum Belgica ritè Deum.
 Te propter, regnata suis maioribus arua,
 Te propter, fratrem deserit ille suum :
 Cumque aliter nequeas , quàm quâ sinit æquor ,
 adiri,
 Æquoris incertas sustinet ire vias.
 Scilicet hîc aliquid ventis debere necesse est :
 Virtutis totum, quod superabit, erit.
 Sed malè (me miserum!) ventis, malè fiditur vndis.
 Oceano constans non solet esse fides.
 His tamen ille suam credet nostramque salutem,
 Spesque per incertas tanta feretur aquas ?

Et

80 G V I L I E L M I B E C A N I

Et tota à fragili pendebit Belgica ligno ;
 Et tantùm felix, si volet Auster, erit ?
 O vtinam Diuis soluat ratis illa secundis,
 Sentiat & magni, quem vehat, vnda maris,
 Et commissa sibi populorum vota duorum
 Deferat ad portus, Ausoni terra, tuos !
 O vtinam venti veniant in vela ferentes,
 Et faciant celerem remus & aura viam !
 Quæque regunt nautas, numquam fulgere sereno
 Sidera deficient officiosa polo !
 Tyndarei fratres, formosæ pignora Leda,
 Præcipuè vobis conuenit illud opus.
 Nam quod tu caelo Pollux cum Castore, terris
 Hoc cum fratre, ratis quem vehit illa, suo est.
 Qui fuit in vobis, vinclo qui vestra perenni
 Iunxit, & illorum pectora iungit amor.
 Vos immortales fecerunt fata, nec illos
 Gloria permittet posteritasque mori.
 Vos iubare & radiis genitor circumdedit aureis,
 Hos genus illustres, & sua vita facit.
 Sidus sollicitis vos estis amabile nautis,
 Gratius hic populo fidus yterque suo.
 Denique quâ Virtus olim vos duxit, eâdem
 Hos quoque, sed serò, ducet in astra viâ.
 Vos igitur, cui se nunc horum credidit alter,
 Ne finite in mediis puppis vt erret aquis.
 Audior ? an totus tenebris inuoluitur aër ?
 Nox fugat atra diem: nubibus astra latent :
 Insurgunt venti: tolluntur in æthera fluctus :
 Exitium tumidæ triste minantur aquæ.
 Hoc Superi prohibete nefas, Hispania quotquot,
 Et non auersos Belgica quotquot habet ;

Et

ELEGIARVM LIB. II. 81

Et seruatorum populos seruate, nec vnum
 Fluctibus his perdi credite posse caput.
 Belgica naufragium puppi patietur in illâ :
 Hei mihi! si frustrâ tot modò vora facit.
 Hei mihi! si vestras frustrâ procumbit ad aras,
 Et spargit lacrymis omnia templa suis;
 Si veniâ nondum digna est vestroque fauore,
 Imperio dignam quam putat ille suo.
 Nequidquam timeo. Redeunt sua sidera cælo,
 Et rabiem Boreas ponit, & vnda suam.
 Incolumes terram propè iam tenuere carinæ;
 Iam portum è summâ nauita puppe vider.
 Felicem terram, quæ gaudia debita Belgis,
 Præcipiet; felix, quod premet ille, solum.

ELEGIA III.

AD SERENISSIMVM FERDINANDVM.

*De morâ ei in Italiâ iniectâ & alpium
 transmissione.*

R Vinpe moras, Fernande: manus tibi Belgica
 tendit,
 Tam tibi, tam fratri Belgica cara tuo:
 Et (quamuis Moncada nihil sinit esse timendum)
 Nescio quo sine te fluctuat illa metu,
 Et plus à tanto (quamuis nihil ille reliquit
 Armis quod potuit consilioque geri)
 Plus tamen, vt par est, à tanto Principe sperat.
 Est aliquid, summâ ducere stirpe genus.
 Nec minùs infelix sibi te Germania poscit,
 Indiget auxiliis nec minùs illa tuis.

F

Te

82 G V I L I E L M I B E C A N I

Te vocat assiduis, ô Princeps, vtraque votis
 Dinumerat lentos vtraque mœsta dies.
 Vtraque cùm vocat hæc, cur te tenet Itala tellus ?
 Cur magis illius vota precesque valent ?
 Cur regio felix damno manet vna duarum,
 Plus iusto nostris perfruiturque bonis ?
 Iam certè discessit hiems ; iam frigore pulso
 Apti viatori tempora veris eunt :
 Iam tibi miles adest summo Duce dignus, Iberis
 Et iunxit turmas terra Latina suas.
 Eia age, rumpe moras ; populis nec ferre salutem,
 Nec dubita laudes accelerare tuas.
 Quid loquor ? obsistit nobis natura ; voluntas
 Nec sua Fernandum, sed graue tardat iter.
 Quoque minùs veniat, tangentes vertice cælum
 Impediunt Alpes, impediuntque niues.
 Hoc est, infidi quod post discrimina ponti,
 Post dubios timuit Belgica sæpè Notos.
 Sed frustrà timuit. Nam quod natura negauit,
 Hoc illi virtus iam sua pandet iter.
 Nempe datur forti quouis penetrare : nec vlla
 Inuia virtuti difficilisque via est.
 Quis teneat volucrum, ne tendat in æthera, flammam ?
 Quis faciat nimbis fulminibusque moram ?
 Quis clausum cæcis vetet expirare cauernis,
 Et cælo Boream liberiore frui ?
 Quis, virtus obices nequeat quos vincere, ponat ?
 Semper vel reperit, vel facit illa viam.
 Hac duce Fernandus per montes nubibus æquos,
 Incola quos tuto vix subit ipse pede,
 Per rigidas cautes & inhospita saxa, geluque
 Obsita perpetuo per loca carpit iter.

Hac

ELEGIARVM LIB. II. 83

Hac duce præcipites contemnit rupium hiatus,
 Nec timet abruptas per iuga summa vias.
 Et quò confuertas pasci per saxa capellas
 Vix ageret pastor, hîc sua castra locat.
 Scilicet ad magnos sic tendimus, inquit, honores :
 Ad famam mollis non solet esse via.
 Principis exemplo miles non segnior instat ;
 Et pudor est tardè, quò præit ille, sequi.
 Ante alios festinat Iber, fortemque probare
 Iam tum præcipuè se studet ille Duci :
 Et mediis dum pendet adhuc in rupibus agmen,
 Iam tum pugnandi tempus adesse cupit.
 Iamque animos, iamque arma parat, iam concipit
 iras,
 Iam spondet palmas exuuiasque sibi :
 Et quasi vicinum conuitia iactat in hostem,
 Nec, nisi cunctari ne velit ille, timet.
 Gaudete ô Tylij, Feriæ gaudete sepulti,
 Qui vestras clades expiet, vltor adit.

ELEGIA IV.

D E

VICTORIA AD NORTLINGAM.

Obtentâ à Serenissimis Ferdinando IV. Hungaria Rege, & Ferdinando Hisp. Infante.

Plaudite iô populi, patriæ quos cura Deique
 Tangit, & antiquæ relligionis honor.
 Plaudite, fortunam qui vestram ducitis esse,
 Austriacæ Numen quam volet esse Domus.

F 2

Et

Et tu flere tuos (quamuis iam sæpè coacta
 Cæsare sub tali non patiènda pati)
 Desine flere tuos tandem Germania casus:
 Desine fatorum de grauitate queri;
 Tristibus vt passim tua videris oppida flammis,
 Sanctaque cum signis templa flagrare suis,
 Ciuibus exhaustas vrbes, cultoribus agros,
 Pingua de domini sanguine prata sui,
 Deletasque acies, totisque cadauera campis
 Sparsa, cruentato non benè tecta solo.
 Germanas aquilas hosti cessisse pudendo,
 Vincere consuetos vincla tulisse duces,
 In mare Danubium currus voluisse virosque,
 Purpureas Rheni sæpè fuisse vias,
 Et quæ, quàm dici possent maiora, tulisti,
 Desine funestis ingeminare modis.
 Iam facies rerum verâ est: iam cœpit Olympo
 Candida depulsis nubibus ire dies.
 Pristina fors rediit: versisque in prospera fais
 Ultio sumpta tuis dignaque parque malis.
 Succubuit tandem, qui pridem debuit, hostis;
 Quæ meruit belli præmia, casus habet.
 Funeribus complet, modò quos vastauerat, agros,
 Quâ segetes vetuit crescere, mordet humum.
 Sparsa manu sæuâ miseris incendia villis
 Restinxit riuo sanguinis ipse sui.
 Gratia magna Deo: vetuit Deus ipse manere
 In sibi sacrato signa inimica solo:
 Indignasque neces, terrisque illata suorum
 Iussit ad auctores damna redire suos.
 Emendare suam voluit non perdere gentem,
 Et pietate minor, vt solet, ira fuit.

Proxima

ELEGIARVM LIB. II. 89

Proxima virtuti debetur gratia vestrae,
 O animis similes nominibusque Duces,
 O consanguinei duo fulmina Ferdinandi,
 Vestrum est, post Numen, quod iacet hostis, opus.
 Per vos parata salus: quidquid Mars pluribus annis
 Peccauit, per vos reddidit vna dies.
 Annorum clades per vos lux vna rependit,
 Reddit & amissum quidquid vbiq; fuit.
 Quae prius intulerat, quae mox inferre parabat,
 Turpiter haec hostis cogitur ipse pati.
 Spes vbi nunc, Wimate, tuae, vocesque, minaque?
 Illa vbi Caesarea certa ruina domus?
 Si nescis, domus haec humanis altius ortum
 Traxit, & è caelis, vnde perennet, habet.
 Inuidiae scopulus, sed vertice sidera tangens,
 Quem rabidi frustra verberet aura Noti.
 Haec domus, vt duris truncata bipennibus illex,
 A damnis animum ducit opesque suis.
 Hac daret euersa Germanis altera leges?
 Se populus domino subderet ille nouo?
 Imperij sacras regeret peregrinus habenas?
 Austriacae gereret sceptrum gerenda manu?
 Demens, illa tibi quando spondere tuisque
 Ausus es, hos aleret cum domus ista duces,
 Quorum hic auspiciis fraternis, ille paternis,
 Inuictusque animis esset vterque suis.
 Fauert, vt caeca est, tibi fors hucusque, virumque,
 Mars dederit letho millia multa tuus:
 Austriadas sed non ipsos impunè lacestas:
 Nil vetus hic miles, nil ferus ensis agat.
 Austriadae solo non certant milite: causam,
 Et Superos secum, fataque stirpis habent.

86 G V I L I E L M I B E C A N I

Et tamen his etiam pugnam temerarius offers,
 Primus signa moues, primus in arma ruis?
 Audeat in sauos vltro sic præda leones,
 Audeat in rabidos ire voranda lupos.
 Arma, parum refert, quod non per lustra tulere,
 Attrito canum nec caput ære tegant.
 Si nescis, animis non annis bella geruntur.
 Virtus, non ætas ferre trophæa solet.
 Vtque suos hostes numquam non vincere possint,
 Austriacis robur contigit ante diem.
 Quod vobis vsus, prudentia contulit illis,
 Ingeniumque annis maius vtrique suis:
 Quod vobis fortuna, hoc illis fata Deusque,
 Hoc stirpi virtus ingenerata dedit.

E L E G I A V.

A D P H I L I P P V M I V.

De misso in Belgicam Ferdinando,

V Ota valent igitur, nec inexorabilis vquam
 Est Deus, aut frustra nos sinit esse pios.
 Quæ negat, ipse tibi nolis concessa: rogando
 Persta, quamque roges, vberiora feres.
 Vberiora tulit nunc certè Belgica, haberque
 Cur non auditas gaudeat antè preces.
 Non quia nunc vrbes, quas perdidit antè, recepit;
 Alterius donum temporis illud erit:
 Nec quia depositis, quod adhuc non expedit, armis
 Dulcia securæ tempora pacis erunt;

Tunc

ELEGIARVM LIB. II. 87

Tunc erit hoc, cùm se, quod iam reor esse propinquũ,
 Subdiderit domino pars inimica suo :
 Sed quia, quod multis meritò plus esse triumphis
 Ducit, habet fratrem, magne Philippe, tuum.
 Dumque habet hunc, ipsum te, Rex, se panè tenere
 Credit; & vt credat, moribus ille facit.
 Tam similis virtute tibi est, quàm tu ipse parenti
 Imperio minor est, cetera fratris habet.
 Ergo Deum sibi iam fauisse fatetur abundè,
 Et te, post magnum, quem colit illa, Deum ;
 Et, quamuis animo nil non sperabat ab illo,
 Iam tamen optatis plura tulisse suis.
 Scilicet ingentem cùm plurima Regna per orbem
 Imperio & curâ sunt moderanda tuâ,
 Te, quod iure potest, tellus sibi seruat Ibera:
 Nos tibi, post illam, proxima cura sumus.
 Illa quidem seruat, multos & seruet in annos,
 Quo nullum speret maius habere caput :
 Sed, quo non illi propiùs vel sanguine possit,
 Vel virtute dari, Belgica nostra tenet.
 Vos igitur nobis, quorum defensa labore,
 Emptaque sæpè fuit sanguine nostra salus,
 Vos precor, ô magni nobis faueatis Iberi,
 Et Belgas vobis dicite panè pares.
 Namque vbi, qui cunctis satis esset gentibus vnus,
 Vni se genti plus satis esse videt,
 Iam bona nobiscum diuisit vestra Philippus :
 Vos Regem, fratrem Belgica Regis habet.
 Et tamen hic aliquis (veniam da patria, luctum
 Si renouem, & prodam dedecus ipse tuum)
 Et tamen hic aliquis dominum non fidus in illum
 Vixit ? posteritas ne precor adde fidem,

88 G V I L I E L M I B E C A N I

Quæ tamen hic fecit, si persananda Philippus
 Vulnera germanum misit ad illa suum,
 Irasci si dum potuit, miserescere Princeps
 Maluit, offensæ nec meminisse suæ;
 Qui fuit, inuictas qui prodidit hostibus vrbes,
 Vtiliter nobis perfidus ille fuit.
 Ergo tibi, per quem nobis sic esse beatis
 Contigit (ô Belgi spesque salusque tui!)
 Numina tam faueant (quid enim nisi vota queamus
 Reddere?) quàm nobis ipse Philippe faues;
 Et, quàm longa tibi petimus, dent tempora, princeps
 Ut noster possis esse, paterque diu.
 Atque vbi, quos terræ debes, impleueris annos,
 Teque tuos inter cernet Olympus auos;
 Tum tuus, in laudes natus qui surgit auitas,
 Indole cognosci qui tuus esse potest,
 Per tua, perque tui fratris te facta sequatur,
 Et sedeat folio non minor ipse tuo:
 Sceptraque cum totidem, quot tu, gestauerit annis,
 Per similes dextras posteritatis eant.
 Cetera cumque Deus concesserit omnia, fratres
 Tam claros habeat, quàm pater antè suos.



ELE-

ELEGIA VI.
 GANDAVENSIS VRBIS,
 IN ADVENTV SERENISSIMI
 FERDINANDI GRATVLATIO.

CHRONICON.

Ergo Venisti, Mihiqve expeCtata tVeri
 Ora DatVr?

ERgo venisti, mihiqve expectata tueri
 Promissi toties Principis ora datur?
 Dexter ades Fernande; fauet tibi terra polusque,
 Et Deus aduentu dat bona signa tuo.
 Ecce nitet puro diffusum lumine cælum,
 Cumque tuo vultu conuenit ipsa dies.
 Tuque quod in terris, hoc præstat in æthere Titan:
 Tu tenebras animis discutis, ille polo.
 Ecce tibi Paria surgunt ad sidera moles,
 Aspicias laudes in quibus ipse tuas.
 In quibus armorum videas monumenta tuorum,
 Atque animi pariter pignora certa mei.
 Ecce tibi festis collucent compita flammis,
 Lætitiæ signis non caret vlla domus.
 Suntque mei ciues, quod, cum duxere triumphum,
 Credibile est turmas antè fuisse tuas.
 Esse suum dicunt te post mala multa leuamen,
 Extendi que orant iam sua fata senes:
 Et, tua quos spatiis tangit propioribus aras,
 Non sibi, maiores quæ subiere, timent.

F 5

Atque

Atque aliquis Tyrio cùm te conspexit in ostro,
 Phœbus vt in Cynthi dicitur ire iugis;
 Qualis, ait, facies! quàm tanto Principe digna est!
 Quàm placidæ speciem signaque mentis habet!
 At bona mox alius quæ sunt maiora recenset,
 Quæ carpat nullus diminuatque dies:
 Quòd tibi, cùm titulis tam sis generosus auctis,
 Non tamen est virtus nobilitate minor:
 Quòd decus ipse tuis addas natalibus, & quòd
 Par animus generi est, par animoque genus.
 Nortlingæ pugnam tum narrat; iterque fuisse,
 Quæ foret alterius gloria summa, tuum.
 Excipiunt illum plausu fremituque sequentes,
 Quisque tuas laudes spes putat esse suas.
 Ipse tuus, tanto qui iam sessor superbit,
 Plausibus attonitus sæpè resistit equus.
 Tu, precor, interea totam circumspice turbam;
 Quaque venis, gaude vix reperire viam:
 Et placeat quòd quisque cupit tibi proximus ire,
 Et studium populi iudiciumque nota.
 Cumque fat è vultu fuerit mens cognita, dicas:
 Cui tam sum carus, hic mihi carus erit.
 Tum subeas arcem, quâ nusquam forsitan esse
 Hospitiis possit dignior vlla tuis.
 Carolus hîc primùm, quem nunc tenet, æthera vidit:
 Hæc domus, hæc illi terra paterna fuit.
 His cœpit reptare locis, tectoque sub illo
 Augustus tenero vagiit ore puer.
 Tu quoque lætus in hos, Princeps, succede penates,
 Auctorem generis & venerare tui.
 Quodque illi natale solum est, tuare, velisque
 Me partem curæ, quod facis, esse tuæ.

ELEGIA VII.

Austriacam potentiam religione erga venerabilem Eucharistiam, unde orta est, niti.

Mortale est quodcumque vides. Rapit omnia
tempus.

Ipsâ, quâ steterant, grandia mole ruunt.
Pyramides vbi nunc? etiam periere ruinae.

Mausolea sibi facta sepulchra iacent.

Templa vbi quæ quondam Romana potentia caelo
Æquavit? Diuis incubuere suis.

Vtque domus, & busta, & celsa palatia Regum,
Ipsa etiam fato regna premente cadunt.

Post Troiæ exitium stravit brevis hora Mycenæ.

Romanæ famam iam pudet historiæ.

Quàm citò trans Gangem Macedo sua victor & In-
dum,

Vltra quod nihil est, ad mare signa tulit?

Quàm citò Achæmeniis superatâ Perfide Sufis

Iura dedit? Bactris imposuitque iugum?

At citiùs tanti, quàm parva est, gloria regni

Occidit, & domini fata secuta sui est.

Sic placitum Superis. Brevis est humana potestas,

Et Reges vno stantque caduntque die.

Ne metuas similem, mundi decus, Austria casum.

Auspicio terras tu meliore regis.

Quod dedit his fortuna, tulit. Tua sceptrâ, Tonantis

Munera sunt. Etiam cura Tonantis erunt.

Hunc tibi relligio fructum pietasque rependit,

Et quæ delicias continet arâ tuas.

Ergò

Ergò subiectum tibi dum circumspicis orbem,
 Quaque cadit Titan, quaque resurgit aquis:
 Dum titulos, palmasque, & gentes mille subactas,
 Et tua trans Gangem fixa trophæa vides:
 Ne tibi suspectum tanti sit culmen honoris,
 Nec faciant, lapsi qui periere, metum.
 Nec, licet ingentem minitentur summa ruinam,
 Sideribus dubites inseruisse caput.
 Ut terram excedas, ut te super æthera virtus
 Euehat, hoc fulcro gloria tuta tua est.
 At neque, ne mundis impar sis vna duobus,
 Curarumque graui mole premare, time.
 Grande quidem, & maius mortali robore pondus,
 Quod tibi tot gentes imposuere, geris:
 At præstò est, additque suo de corpore vires,
 Supponitque oneri se Deus ipse tuo.
 Herculeis humeris dum cælum & sidera fessus
 Fulsit Atlas, Diuûm regia tuta fuit.
 Tu quid formides, quando, qui sustinet orbem,
 Te, molemque tui sustinet imperij.
 Insurgant populi, certent armisque, dolisque,
 Et fas, omne tibi quod nocet, esse putent:
 Dum tua cum causâ coniuncta est causa Tonantis,
 Vinces: ille tuis hostibus hostis erit.



ELEGIA VIII.

AD CLAVDIUM
COMITEM DE COLLALTO
ET S. SALVATORE.

*Dum Ferdinando IV. Augustissimi Caesaris
Ferdinandi III. filio suas de iure Maiesta-
tis, &c. Theses Louanij dedicaret an-
no M. DC. XLV.*

Tantum igitur bellis sese Germanica tollat
Nobilitas? quærat sola per arma decus?
Ingenio vires præstent, sapiensque feroci
Concedat? laudis sit genus esse rudem?
Nec nisi sanguineæ sit pulchra scientia pugnae,
Nec placeat nisi quæ palma cruore madet?
Ah miseri! quibus ad famam per busta suorum,
Per clades iter est, patria cara, tuas.
Sed tamen hoc potius, quam misceat omnia victor,
Insulterque tuis hostis ouetque malis.
Viderit Augustas Aquilas Germania pelli,
Atque inimica suo stare trophæa solo,
Imperij spoliis peregrina impunè fruuntur
Agmina, nec pubes omnis ad arma ruat?
Arma citi ferte arma, vocat Cæsarque cadensque
Patria. Pro patriâ dulce piùmque mori.
Tuque adedò, si te genuit, Collalte, Vienna,
Hostis quam circum jam sua signa tulit,

Arma

Arma tui, atque animū, atque iras, atque omnia Patris
Affer, & Austriaci nominis ultor ades.

Quid loquor? an solis domus Austria dimicat armis?
His tantūm Cæsar nititur esse potens?

Hoc agat, hunc referat malè strenuus alter honorem:
Sic bellum, quo vel vincere turpe, gerat.

Austriacis proprius causâ superare triumphus,
Primum, iustitiam non violasse, decus:

Non hoc imminuunt clades. Sors cetera versat,
Nec semper causâ pro meliore facit.

Sic & qui domui putat huic seruire decorum,
Iustitiam primūm fasque piūmque colat.

Cura vel in bellis est illis maxima legum:
Sectetur dominos hac quoque parte suos.

Nec tam quid gladius possit roburque furorque,
Quàm quid iura sinant, quid caueantque, sciat.

Quid benè pugnando vincas, quod iure tueri
Non possis? ineunt sic sua bella fera.

Contemnes meliùs, quod honestat causa, periculum,
Iustaque quæ noris, fortiùs arma geres.

Huc curas, Collalte, tuas, pulchrosque labores
Et tantâ dignos nobilitate refers:

Huc spectant artes, animum quibus excolis, & te
Venturis titulis muneribusque paras.

Sola fremant annis alij iuuenilibus arma,
Et discant quo sint bella gerenda modo;

Quid sibi deposcat Maiestas Cæsaris, hostis
Quid violet, primus sit tibi scire labor.

Fortis erat genitor: tu laudibus adde paternis
Non solâ palmam posse referre manu.

Sic famæ captes primordia: bella deinde
Pro domino restent si peragenda tuo,

ELEGIARVM LIB. II. 95

Si te vel Cæsar, vel natus Cæsarum olim
 Ad sua deposcat iura tuenda ducem,
 Tum bellatorem sit cura referre parentem,
 Mantua, vel qualis, dum caperetur, erat;
 Vel qualis medios per cædes actus in hostes,
 Corpora fulmineo strata premebat equo.
 Est tibi non impar patrio, nec laudibus istis
 Spiritus, est qui pro Cæfare sanguis eat.
 Nec timor est, ne non venias instructus ad arma;
 Sint licet à studiis nunc aliena tuis.
 Cognatæ tibi sunt ab origine militis artes;
 Quodque aliis usus, hoc tibi stemma dedit.
 Quis, genus heroum, longo quos ordine censes
 Collatos, belli fulmina, nescit auos;
 Seu Venetis (multa his Veneti felicia debent
 Prælia) Cæsaribus seu placuere Duces?
 At modò pugnatum fatis est, fatis ensis & ira
 Peccarunt. Quæ non sanguine fluxit humus?
 Pax redeat. Pacem viduatæ ciuibus vrbes,
 Et magnâ tenuis oppida parte cinis,
 Cornibus & fractis Rhenus, totiesque cruentas
 In mare Danubius voluere fessus aquas,
 Ipse adeò pacem saturatus cladibus optat
 Miles, & inuitâ sustinet arma manu:
 Militibus, Reges, populoque fauere precanti.
 Publica nec careant pondere vota suo.
 Eueniet. Quid tunc artes Collalte cruentas
 Proderit, & sæuum noscere Martis opus?
 Quis tum poscentis certamina militis usus,
 Pars etiam quem nunc optima damnat, erit?
 At tibi, qui studiis animum quoque mitibus ornas,
 Nec facere ad laudem sola sat arma putas;

Et

Et vigilatorum pretium tum grande laborum,
 Et benè de populis quod merearis, erit,
 Dum quibus in terris per bella ferociit, & iam,
 Quod priùs iniustè plebs tulit, ipsa facit,
 Tu veteres iterùm mores, legesque reduces,
 Et quæ curasti discere, iura dabis.
 Urbibus atque iterùm ciues, & ciuibus vrbes
 Restitues, quæ nunc procubere solo.
 Sic tibi, quam miles non speret, gloria surget,
 Et melior, quàm qui sanguine constat, honor:
 Utque voluptatis populo sancita per orbem
 Fœdera, materies sic tibi laudis erunt.
 Maeste animis: hoc ipse vouet tibi Cæsar, & olim
 (Si tua, si quidquam publica vota valent)
 Augustæ cui fata domus, virtusque paternos
 Cum meritis titulos, imperiumque parant.



ELEGIA IX.

A D

LEOPOLDVM GVILIELMVM,
ARCHIDVCEM AVSTRIÆ, &c.

*Dum templi, quod Deiparæ immaculatè conce-
pta Societas Iesu Louanij exstruit, per Comi-
tem Isenburgicum primum lapidem poneret.*

*Vnâ manu faciebat opus, & alterâ tenebat
gladium. 2. Esdræ 4.*

Quisquis adest, faueat. Noua conditur omine
fausto

Cælicolûm Dominæ, Cælicolisque domus.

Ferte viri lapidem, si beat qui ritè paratam

A magno positus Principe primus humum.

O lapis, auspiciis alios præiture secundis,

Excipiat facili te bona terra sinu!

A te surgit opus, cui relligionis amantes

Iniectas toties indoluere moras.

Vnde nouum Grudiâ pietas expectet in vrbe

Momentum rebus præsidiumque suis.

Fortunate lapis, quamuis nec luce frueris,

Nec medio illustris conspiciere tholo:

Hanc tamen inuideant tibi cetera maritima sortem,

Exoptentque tuo delituiffe loco.

Ipsi de cælo Diui, dum poneris, adsunt,

Ætheræ Michaël gloria militiæ,

G

Et

Et multo Quintinus adhuc à vulnere pulcher,
 Cuius laurus obit sanguine sparsa caput,
 Et sibi deuoti cui maxima cura Louanî
 Petrus, & hac templum quisquis in vrbe tenet.
 Gaudent, & talis nisi, te qui poneret, esset,
 Certaret manibus ponere quisque suis.
 Tu tamen ante alios, Grudiis cultissima semper,
 Digna que maiori semper honore coli,
 Adsis ô! studiique tuo cum nomine nostri
 Huic lapidi inscriptas aspice, Virgo, notas.
 Quodque tuo iunctum nomen legis, id quoque reddi
 Clarum pro meritis perpetuumque velis.
 Viuat, cumque tuâ Leopoldi gloria crescat,
 Seu pax sit, seu, quod non cupit, arma gerat.
 Austriacos decoret fastos vtrasque per artes,
 Nec præstet titulis inferiora suis.
 An pietate prior fuerit, quærat, an armis;
 Sed pietas palmam relligioque ferat.
 Utque places illi, placeat sic omnibus ille,
 Et sit, ut est noster, posteritatis amor.
 Quique suo metas in te non ponit amor,
 Auxilij finem nesciat ille tui.
 Quantò tu maior, tantò maiora repende:
 Cùm tibi præstiterit plurima, plura ferat,
 Viribus ille hostem; tu vince fauoribus illum,
 Materiam studiis suppeditesque nouis.
 Quæ tibi fundandis promptè deseruiit aris,
 Sic felix, hosti nec toleranda manus.
 Hoc primùm. Tum conatus bona prouehere nostros,
 Et pia præsentis numine cœpta foue.
 Sunt tibi sintque, precor, terris delubra Brabantis
 Plurima, vix aliâ quot regione vides.

Si tamen hoc primū est, Grudiā quod in vrbe dicandū
Sit tibi, non nihil hoc, Virgo, valere velis.
Sufficias animos: ne desint cetera cures:
Quodque tibi surgit, fac, citò surgat opus.

ELEGIA X.

A D

DIVVM LEOPOLDVM
AVSTRIACVM.

*Dum annum eius festum Leopoldus Guiliel-
mus Archidux Austriae Bruxellis celebraret
anno M. DC. IIL. XVII. Kal. Decemb.*

Festa dies rediit. Belgæ tibi sacra paramus:
Dexter ades sacris, ô Leopolde, tuis.
Austria centenis tua nunc tibi supplicat aris:
Hunc sibi seu proprium vindicat illa diem.
Tota tibi est hodie: laudes tibi, vota que soluit,
Suspenditque tuis munera multa tholis.
Austria, pace tuâ, nostra huius pars bona festi est,
Atque aliquid, tibi quo Belgica certet, habet.
Quem prece sollicitas, est & cur inuocet illa,
Quem colis, est & cur non minùs illa colat.
Olim tu fueras Leopoldo Principe felix:
Heredem tanti nominis illa tenet.
Qui quod habet nomen, virtutibus ornat iisdem,
Per quas deliciae tunc erat ille tuæ.
Tu fueras illius amor, tu maxima cura:
Et nos huius amor, primaque cura sumus.

G 2

Ille

100 G V I L I E L M I B E C A N I

Ille tibi recti datus est moderator & æqui :

Et nobis hic est, quod fuit ille tibi.

Pro te susceptos sua credidit ille labores

Commoda: pro nobis hunc vigilare iuuat.

Vt tibi prodesset, nil non tulit ille, suasque ,

Queis tu gaudebas, esse putabat opcs :

Huic quoque iucundum est, quodcumque est utile
nobis ,

Hic quoque præponit commoda nostra suis,

Tu statuas Diui, & Diuum veneraris in illis,

Artificis finxit quâs tibi docta manus :

Verior illius nobis obuênit imago :

Viuit apud Belgas, tu quod in ære vides.

Et tibi quam credis nunc illuxisse beatam ,

Non felix nobis fulserit illa dies?

Tu cui solemnès soluis, non soluat honores

Belgica? cui tua fers, non sua vota ferat?

Dentur thura focis: peragat pia sacra sacerdos.

Quisquis ades, purâ concipe mente preces.

Et pete, donati cælo quam seruat, amatque

Principis effigiem, seruet, ametque diu.

Gaudeat & longum, quo gaudet, præside re-
rum,

Et per quem sperat plurima, plura ferat.

Felicem videat felix, faustumque redire

Sentiat hanc illi sæpè, sibi que diem.

Fallor? an adiungit nostris sua vota? sui que

Quod poscunt ipsi, poscit & ipse suis.

Exaudi, si digna petit, tantique clientis

Esse vera vanas, ô Leopolde, preces.

Ipsi commissis oriantur tempora Belgis,

Per te quæ populis acta fuere tuis.

Aurea

ELEGIARVM LIB. II. 101


Aurea te dicunt illis regnante fuisse
 Sæcula. Felices, qui meruere frui!
 Atdebat sæuis, vt nunc, Germania bellis:
 Sanguineis ibant Rhenus & Albis aquis.
 Austria tuta fuit. Prostrauerat omnia Mauors:
 Auspiciis stabat Principis illa sui.
 Pax erat. O vtinam per te nos illa reuisat,
 Solamen longis vna futura malis!
 Vtque tibi est similis, qui Belgâ flectit habenas,
 Sic simili simus conditione tuis.
 Si licet, & tandem Superûm placauimus iras,
 Pax veniat: nullo restet ab hoste timor.
 Alter secessit, secedat & alter ab armis,
 Tristia quæ nobis, nec sibi læta gerit.
 Inter se Eumenides pugnent, & Erinnyes atræ:
 Fœdera nos iungant, & socialis amor.
 Ille quidem nobis dux est, quo sospite nullis
 Cedet, quantumuis Belgica pressa malis.
 Huic animi, viresque, huic sunt, quibus arma repellat,
 Arma: sed inuitâ sustinet illa manu.
 Pacis amat, quamuis belli sit factus ad artes:
 Hinc mauult famam nominis ire sui.
 Altera non tanti, quæcumque est, esse videtur,
 Vt benè tot damnis gloria possit emi.
 Augustus sanguis, Diuûm genus, Optime Princeps,
 A cuius pendet nostra salute salus,
 Sic tibi contingant, quanti debentur, honores:
 Sic in longa tuum sæcula nomen eat:
 Austriacos tua sic illustret gloria fastos,
 Vt tibi, quâ debet, quaeritur illa viâ.
 Ah miseri, quibus arma placer sic ferre, triumphis
 Vt possint ipsis illacrymare sui!


102 GVIL. BECANI ELEG. LIB. II.

Qui ciues, hostem possint vt perdere, perdunt,
Et lucrum per non damna minora petunt.
Consule tu meliùs nobis, nullumque tuorum
Pulchrius esse tibi crede salute decus.
Hinc tibi, seu cogant hostes contendere bello,
Hinc tibi, seu pactâ pace, triumphus eat.
Sic illi, cuius tu reddis amabile nomen,
Et per te Belgæ gens cui cara sumus,
Sic tua te iungat virtus, sed serò, Parenti,
Et Superos adeas, quâ præiere, viâ,

Ad maiorem Dei gloriam.











233

62 21









Beccanus

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

1. 2. 3.

Th
5811